
DISSERTATIO DUPLEX: VNA CONTINENS IUDICIUM DE AUCTORE VITAE...

Jean : de Launoy, Gilles Ménage



14 A

DISSERTATIO DVPLEX:

Congregationis S. Mauri ordinis S. Bened. in Gallia

VNA continens iudicium de Auctore vitæ Sancti Maurilij Andegauensis Episcopi, ex MS. Andegauensi erutæ.

ALTERA Renati Andegauensis Episcopi historiam attingens.

Editio secunda auctior, & qua passim cuidam pro S. Renato Apologiæ respondetur.

Auctore IOANNE DE LAVNOY Constantiensi, Theologo Parisiensi.

Accedit ÆGIDII MENAGII *ad* GVILLELMVM *fratrem epistola.*

LVTETIÆ PARISIORVM,
Typis EDMVNDI MARTINI, viâ Iacobæâ, sub Sole aureo.

M. DC. L.

CVM PERMISSV.

DOCTISSIMO VIRO ÆGIDIO MENAGIO.

REDIT *ad te manuscriptus vitæ S. Maurilij codex, de quo quid videretur mihi, scire optasti,* DOCTISSIME MENAGI. *Ecce pareo lubens, sed an votis respondeam, inscius. Vnum tamen me solatur, quòd non impellat te vlla quicquam discendi necessitas. Quid enim alij de manuscripto codice debeant sentire, facilè præscriberes, si per Hebraïcæ linguæ studium, cui modò totus es deditus, liceret. Meum ergo de codice tuo iudicium, quò intelligatur expeditiùs, vna atque altera Dissertatione propono. In prima* ψευδεπίγραφον *S. Maurilij vitam mecum agnosces, & quidem tam certò, quàm quod certissimè potest agnosci. Gregorio Turonensi vita hæc inscribitur, quæ sanè inscribenda est auctori minùs antiquo; scilicet Rainoni Andegauensi Episcopo, qui ad annum 905. Maurilij vitam instaurauit ipse, vel ab aliis instaurari curauit. Momenta rationum,*

quibus id probem, repeto cùm ex ipsamet Maurilij vita, tum ex aliis, quæ spectant ad Gregorium Turonensem. In secunda tango B. Renati Andegauensis historiam, quæ quanta quanta est, duobus vitæ Maurilij capitibus, sexto & decimo-sexto continetur. Singulare Rainonis opus est, qui quod à Fortunato prætermissum in vita Maurilij conqueritur, supplendum esse duxit: admissum ab Antistite in Confirmando puero negligentiæ crimen, susceptum ex eo agendæ pænitentiæ consilium, conditiones actæ pænitentiæ omnes, mortuum sine Confirmatione puerum, sed annò à morte septimo excitatum Maurilij precibus, (miraculum post redemptos homines illustrissimum) huic puero Renati nomen datum ex euentu, Renatum à Maurilio eruditum diligenter, & factum illius successorem. En duorum capitum summa, cui centum & viginti quatuor ea de re Marbodi versus, vnum Petri Cluniacensis locum, Petri verò Cantoris alterum subiicio. His obseruationes accedunt nonnullæ, quibus id quod res est, inspiciatur magis magísque. Præterea quæ antiquitatis testimonia deesse visa sunt ad maius historiæ firmamentum, aperio, cùm vt nihil te celem, tum vt tuus Andegauensis Menardus habeat, in quæ suam possit curiositatem omnem exercere. Vtinam in veteribus forulis inueniat, quæ inuenire

non licuit, vel, vt inueniantur, ad auctoritatem rei necesse non esse, ex Ecclesiæ regulis confirmet. Tunc enim nullus erit inter nos dissentiendi locus, & in eandem sine controuersia conspirabimus sententiam. Insanus sit, qui bellum æquis conditionibus non componit, & suis asserta legibus veritati non cedit. Verùm ista Christianæ pacis vincula dissimulant sæpe, qui nolunt in istiusmodi rebus dicenda esse cum veritate, quæ veritas ipsa fecit, aut non fecit. Sunt enim, & nouimus ipsi, quorum religio, si tamen religio, nunquam elucet magis, nisi cùm ad vlciscendam iniuriam prætextu pietatis vtuntur, vel odiis suis & ἀγνοίᾳ fucatæ probitatis ac sapientiæ famam inscribunt. Sed facessant peruersè religiosi homines, qui siue consilio, siue temere agant, dum sic agunt, nullúmque gerunt veri aut falsi, certi vel incerti discrimen, ridendam impiis iuxtà atque hæreticis Ecclesiam propinant. Te verò, ERVDITISSIME MENAGI, *qui longè aliter, quia Christianè sapis, (& insuper ita sapere tua multiplex docet litteratura politior) hanc lucubratiunculam boni consulere, & in amicitiæ consuetudinisque nostræ auctoramentum habere velim.*

IOANNES DELAVNOY.

Tertullianus in Apologetico cap. 19.
Religionis est instar fidem de temporibus asserere.

Cassiodorus lib. 1. Variarum cap. 9.
Fidem rerum à ratione colligimus, quæ nunquam desiderantibus absconditur, si suis vestigiis perquiratur.

Facundus Hermianensis Episcopus lib. 5. pro defensione trium Capitulorum cap. 1.
Verax est Ecclesiæ pro veritate defensio, nec vnquam fuit indiga falsitatis.

Vincentius Lirinensis cap. 25. Commonitorij 1.
Quicquid verò ab aliquo deinceps vno PRÆTER OMNES, *vel contra omnes Sanctos nouum & inauditum subinduci senserit, id non ad religionem, sed ad tentationem potiùs intelligat pertinere.*

PRÆFATIO.

ANNO præterito, cùm amici rogatu Dissertationes edidissem duas, vnam de auctore vitæ S. Maurilij, alteram de Sancti Renati historia, consilium meum satis aperui, quî scriberem, quid quærerem, & quibus regulis disputarem. Huius consilij, quod in epistola nuncupatoria legitur, rationem nec immutare possum, & quia Ecclesiasticis Canonibus consentit, retractare nollem. In vtraque Dissertatione facti quæstionem agito, iuris nullam ingredior. In prima, vtrum Gregorius Turonensis sit auctor Maurilij vitæ, quæ in pluribus manuscriptis prostat apud Claudium Menardum Andegauensem, disputo, & eam tum demum Gregorij non esse prolem multis rationibus euincere mihi videor. In altera, Renati historiam ex iis, quæ nactus eram, monimentis adorno, & in diuersa huius historiæ momenta nonnihil commentor. Deinde cùm historiam non satis habere virium animaduerterem, Menardum, qui modis testatam omnibus credebat, de iis submoneo, quæ ad maiorem illius firmitatem requiri iudicaueram. Hîc nihil affingo, Deum testor, & homines, qui nuncupatoriam epistolam inspexerunt. Sperabam enimuerò, vt felici huius iudicij, & diligentiæ meæ damno, quod lateret, inuestigaretur, & eorum, quæ significo testimoniorum defectus certis ac illustribus aliis scriptis compensaretur. In hoc autem consilij genere quid pecco ? quid commereo ?

Præterea, vt calumniæ eorum, qui omnia in inuidiam rapiunt, & quibus veritatis assertio nonnumquam displicet in hac materia, occurrerem, semel atque iterum, & tertiò profiteor, agere me de maiori huius, quæ præ manibus erat, historiæ firmamento. Semel quidem in epistola nuncupatoria his verbis: *Quæ antiquitatis testimonia deesse visa sunt ad maius historiæ firmamentum, aperio, cùm vt nihil te celem, tum vt tuus Andegauensis Menardus habeat, in qua suam possit curiositatem omnem exercere.* Iterum verò in ipsius rei titulo, qui sic notatur : *Quæ historiæ Renati desunt ad maiorem illius firmitatem indicantur.* Tertiò denique in ipsomet

operis fine, qui sic quoque delineatur. *Cæterùm siqua Renati historiæ desunt, haberentur, quin illa certior foret, neminem dubitaturum opinor.*

Hæc igitur adtexueram amuleta etiam aduersus Satanam præsentissima, & tamen extitit Andegaui (Vigilantiúsne sit, an Dormitantius, nescio) qui consilium meum aliter acciperet, quàm proposui, & me ingenti criminatione maculаret.

Perstringo summam rei: Quisquis ille fuerit, pro Sancto Renato edidit apologiam, quæ non pro Renato, sed pro Renati historia inscribenda fuit. de ea enim cuiusmodi refertur cap. 16. de vita Maurilij, sermo est. Immò longè candidiùs egisset, ac sinceriùs, si quam sic insinuo, tractandi conditionem accepisset: *Vtinam* (Menardus) *in veteribus forulis inueniat, quæ inuenire non licuit, vel vt inueniantur, ad auctoritatem rei necesse non esse, ex Ecclesiæ regulis confirmet. Tunc enim nullus erit inter nos dissentiendi locus, & in eandem sine controuersia conspirabimus sententiam.* Sed istud Christianæ pacis argumentum dissimulat, & operi suo impingit titulum, qui nisi veritatem causæ, aduersario certè conciliet inuidiam. Quod in eiusmodi titulo consilium iniit, per totas triginta paginas persequitur, & qua de re non est contentio, inimicam veritatis, & Christianæ charitatis contentionem agitat, & in me toto calumniatricis eloquentiæ campo furibundus decurrit.

Ab hac enim quæstione suam auspicatur apologiam: *An è dignitate Theologicæ professionis fuerit, Doctorem Sancti Renati gloriæ detrahere?* Communis est calumniandi locus, qui cùm omni materiæ conueniat, nulli conuenit. Fingamus enim disputationis gratia, hominem quendam, qui fuisse dicitur, non fuisse; vel aliquem, qui Sanctus esse dicitur, Sanctum non esse. Tunc aduersus eum, qui quòd res esset ex hypothesi, edito libello tueretur, posset apologia scribi, cuius vestibulum pari quæstione illustraretur.

Sic ageretur cum Martino Turonensi Episcopo, qui dicatũ à quibusdam Sacerdotibus Pseudomartyri altare diruit.

Sic ageretur cum Africanis Patribus, qui hunc omni dignum memoria Canonem statuerunt: *Item placuit, vt altaria, quæ passim per agros, & per vias tanquam memoriæ Martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reli-*

quiæ

uia Martyrum condita probantur ab Episcopis, qui locis eis-em præsunt, si fieri potest, euertantur: si autem hoc per tu-ıultus populares non sinitur, plebes tamen admoneantur, e illa loca frequentent: vt qui rectè sapiunt, nulla ibi su-:rstitione deuincti teneantur: & omnino nulla memoria 1artyrum probabiliter acceptetur, nisi vbi corpus, aut ali-uæ reliquiæ sunt, aut origo alicuius habitationis, vel posses-'onis, vel passionis fidelissima origine traditur. Nam quæ per 'mnia, & per inanes quasi reuelationes quorumlibet homi-um vbicumque constituuntur altaria, omnimodo impro-ɜntur.

Sic ageretur cum Gallicanis Episcopis, & Carolo Ma-no, qui hunc renouarunt Canonem lib. 1. Capitul. num. 2. *In Africano Concilio, vt falsa nomina Martyrum, & ıcerta Sanctorum memoriæ non venerentur.*

Sic ageretur cum Cardinale Baronio, qui Iacobum Ze-edæi filium in Hispaniam profectum, & corpus eius illuc 'anslatum fuisse negat. Scilicet quæreretur, *an è dignita-: Cardinalitiæ professionis fuerit, Cardinalem historicum ancti Iacobi gloriæ detrahere,* quæ illi cùm ab Hispanis :dditur, tum ab iis, qui Compostellam peregrinantur, ım etiam ab aliis, qui peregrinantibus tot per Galliam, : alias gentes xenodochia fundarunt.

Sic tandem ageretur cum Cardinale Bellarmino, qui se-undam Martialis epistolam ob memoratum in ea Valeriæ ıiusdam virginis martyrium repudiat in libro de Scripto-bus Ecclesiasticis: Nempe quæreretur, *an è dignitate Car-inalitiæ professionis fuerit, Cardinalem theologum San-'am Valeriam deturbare de cælo, & Morboniam aman-are?*

Atque, vt alios prætercam, in Baronium, & Bellarminum ati fidelibus scandali crimen transferat, quod mihi vel im-ıerentissimo inurit. Ego Latino idiomate scripsi, quod nec iris, nec feminis omnibus notum est. Modestè scripsi, ra-ıs veritatem dicacitatis patrocinio non egere. Verè scri-si, ad certiorem Renati historiam multa desiderari, quod octorum vel indoctorum nemo iure negabit vnquam. Huc accedit, quòd propter eiusmodi offensiones, quæ na-cerentur, deserendam non esse veritatem sanctissimi Ec-lesiarum magistri pronuntiauerint, & suis legibus atque xemplis confirmarint.

Quoniam verò in secundæ Dissertationis aditu dixeram, me, quid ad certiorem Renati historiam desideretur, Christiana libertate indicaturum; iste homo c. 2. apologiæ suæ de Christiana libertate commentarium odiosissima loquacitate scribit, & varias illius definitiones Græcas, & Latinas addensat. Sed incassum. Eam hîc intelligo libertatem, quam Apostolus Thessalonicensibus facit: *Omnia probate, quod bonum est, tenete.* Qui locus sic adhibetur in decreto de libris authenticis & apocryphis: *Sed cùm ad Catholicorum manus aduenerint, beati Pauli Apostoli sententia præcedat: omnia probate, quod bonum est, tenete.*

Iste ergo Lyricorum inter Græcos principis cõsilium secutus, ἀρχομένου ἔργου πρόσωπον χρὴ θέμεν τηλαυγές, ad rem ipsam aggreditur, in qua & sibi, & mihi iniuriam facit: mihi quidem, cùm quæ dico, non repræsentet fideliter, sibi verò, cùm quæ de suo, & alieno thesauro profert, vel propositum à me scopum non feriant, vel adulterina sint, vel mutuis accisa vulneribus intereant. Cominus accedo. Quæ monumenta annum 905. Rainonis ætatem præcedunt, ad Renatum Andegauensem non pertinent, scripta per Magnobodum vita Maurilij, & Bartholomæi Chiccarelli de edita anno 763. charta testimonium, si tamen illa subdititia non sit: quæ verò Rainonis ætatem sequuntur, ex iis pleraque in posteriori Dissertatione descripseram, & quid haberent auctoritatis, indicaueram. Hæc autem sicut & cetera, quæ non descripseram, quia non haberem, cùm Rainone sint posteriora, mihi non incommodant. Hanc enim fixeram epocham, cuius intra limites, velut intra certum scamma vel pugnandum, vel certamen deserendum fuit. *Religionis est instar,* vt ait Tertullianus, *fidem de temporibus asserere.*

Verùm inter ea, quæ mihi erant incognita, comparent quatuordecim Cardinales, & Pontifices duo, qui subornantur ad testimonium. Heu prisca fides! ô virum, qui pro Renato scripsit apologiam, illustrandæ Andegauensium Ecclesiæ natum! sed ô infelicem Launoium, qui cum homine tam candidi, & sinceri pectoris congreditur!

Ad hæc non moror calumnias & probra, quorum veneno tanquam vetus bufo per singulas ferè paginas Apologeticus intumescit. Vno verbo dicam. Hic liber armamentarium est conuitiorum, quibus non vna vel altera, sed

ures impotentium è foro piſcario mulierum phalanges ad
o, & huius hominis more bellandum inſtruerentur. Rem
:ſtam narro, nihil exaggero, pro Renato apologia lega-
r, & minus à me dictum, quàm pro veritate dici opor-
it, apparebit.

Non moror, inquam, iſta verborum dehoneſtamenta,
iibus quidquid eſt apologiæ, conſpurcatur. Arma ſunt
nauorum & imbellium, arma ſunt eorum, qui vincuntur,
ignominioſi certaminis inſignia. Vituperatio, non in vi-
peratum, ſed in vituperantem cadit, eúmque infamat. Qui
tuperat apud Chriſtianos, & Catholicos, non qui vitupe-
tur, de hoc peccati genere pœnitentiam agit, & ad reſti-
tionem ablatæ proximo famæ compellitur. Ne conuitia
quidem hunc hominem, ſed vagire puto, & mihi tantùm
dire videor Aiacem illum

Κόκκυγα κομπάζοντα μαψαύρας ςόβας.

:rùm impingit non modò in Chriſtianum nomen, & vt piè
:do ſuum, *Quod*, ex Tertulliano, *de ſuauitate, & beni-
itate compoſitum eſt*, ſed in gentiles etiam poëtas, qui, vt
ɔtuus in ipſo conflictu deferatur honor, præcipiunt,

Αλλήλους αἰδεῖσθε κατὰ κρατερὰς ὑσμίνας.

:enim cùm cauſam ſuam tam malè defendit, ex illa tra-
ɔndi methodo, quæ honeſtum virum decet neminem, hoc
nen conſequitur, vt niſi ſcriptor eſſet poſt hominum me-
ɔriam maledicentiſſimus, ſine dubio cauſæ proditor ha-
retur. Ita cenſent Marci Catones, qui Apologiam pro
'nato legerunt, & qui in ea nihil niſi ἀπὶ τοῦ λόγου τ τοῦ
ιάσσου βάλλειν inuenerunt. Siquidem iudicant id eſſe ve-
m, quod ego de Renato non ſcripſi, ſed quod à me ſcri-
ım homo ſtolidè maledicus paſſim deblaterat. Quare non
:diocrem Andegauenſi Eccleſiæ facit iniuriam, cùm illi
od ſuum non eſt, tanquam ſuum inſcribit.

Quis enim crederet, illuſtrem, & viris pietate, doctri-
, & genere nobilibus plenam Eccleſiam velle poſteris e-
mplum relinquere, quo maledicentia, & alienæ famæ
tractio in vſum Chriſtianorum, & in alicuius cauſæ au-
ɔritatem, & patrocinium admitteretur? Eccleſia quæ
ɔriſtum profitetur, maledicentiam, & detractionem non
ofitetur: detractores ſuis non probat Canonibus, ſed ple-
it; nec probatum etiam crimen crimine repellit. Eccleſia

mater eſt, quæ obſequentes filios nouercalibus odiis non proſequitur; illorum ſummiſſionem benignè audit memor regulæ, quam Leo Papa prædicat epiſtola 13. *Sedis Apoſtolicæ moderatio hanc temperantiam obſeruat, vt ſeueriùs agat cum obduratis, & veniam cupiat præſtare correctis.* Sed auctor apologiæ pro Renato contrà nititur, hanc Eccleſiæ clementiam ſpernit, ſummiſſionem, qua velut cera & lino, quidquid eſt operis mei obſigno, & in Eccleſiæ atque Andegauenſis Epiſcopi iudicium deputo, per ſummam inclementiam abiicit, detorquet in prauos ſenſus, dilacerat, & hinc inde infatuato ſale aſpergit. Hiſtoriam narro, nihil mentior, caput quintum, & vltimum apologiæ legatur.

Capite 1. nihil cogitans de Chriſtiana libertate, quam cap. 2. definit, recoctam à neſcio quibus maledicentiæ natis hominibus de Dionyſio, & Magdalena crambem rurſus ingerit, & cùm ex ea calumniarum arce tela in me intentat, non animaduertit, in Gregorium Turonenſem repercuti, quem vitæ Maurilij auctorem tam aſſeueranter, quàm falsò pronuntiat. Quicquid enim de Dionyſio Pariſiorum Epiſcopo, & de Magdalena Epheſi ſepulta ſcripſi, ex auctoritate Gregorij, atque ex antiqua Eccleſiarũ traditione ſcripſi. Loca Gregorij refero §. 13. Hæc eſt cauſa: *Cur,* inquit pag. 11. *Launoius laudem à Miniſtris Geneuenſibus meruerit, & propediem ab iis exſpectetur in ſuas partes tranſiturus.* En fœdæ frigidæque contumeliæ genus! Ergóne Gregorius Turonẽſis tranſiturus erat in partes hæreticorum ſui temporis, quòd Dionyſium Pariſienſem diſtinxiſſet ab Areopagita, & Magdalenam Epheſi ſepultam mandaſſet literis? Ergóne eruditiſſimi quique inter Catholicos viri, qui aſſentiuntur Gregorio, quotidie à Geneuenſibus expectantur in ſuas partes tranſituri? De Brunone cauſſatur, & per latus meum Romanam ferit Eccleſiam, quæ quod ex hiſtoria Brunonis in recenſione Breuiarij ſuſtulit, id ego rectè ſublatum poſtea confirmaui. De Sancto Ludouico quid calumnietur, penitus ignoro. Meram impoſturam patior. Ab iis, quos habet Lutetiæ, Corycæis deceptus eſt. Ceterùm hac pagina ſi vſpiam alibi vir ἀμμωνος claſſicum canit, quo niſi Superos moueat, Acheronta certè ad pugnam vocet. Sed poſtea videbitur, vter noſtrûm canturus ſit receptui.

Hoc cap. 1. enormiter abutitur Chryſoſtomi loco, qui pro

tinendis traditionibus afferri solet. Antequam enim letimè probauerit id, de quo quæritur, in vera esse tradi-one positum, cum sancto Doctore exclamat, *traditio est, hil amplius quæras.* Quantus verò sit abusus huius loci, onstabit in apologia pro Nesingo huius nominis primo ndegauensium Episcopo.

Capite 3. grandem mihi super eo inconstantiæ dicam im-ngit, quòd Gallicanum Martyrologium, in quo historia enati traditur, comprobarim. Sed quid illius refert, Mar-yrologium esse probatum à me, quem tantæ reum imperiæ per totam apologiam scribit? In epistolâ igitur mea, uam hoc loco citat, & malè accipit, Martyrologi, & Martyrologij consilium generatim laudo, nec potest non udari: sed quòd singula, quæ narrantur acta, omni veri-ate nitantur, nec affirmo, nec affirmare potui. Illa quippe ùm infinita sint, infinitam, cui non sufficio, diligentiam re-uirunt. Qua verò ratione interpretanda sint in hac mate-ia Doctorum iudicia, quæ etiam disertiora forent, quàm neum, probissimè docet Martinus Grandinus Parisiensis Theologus in quadam ad Robertum Quatremaires episto-a, quæ extat in fine libri, cui titulus est: *Ioannes Gersen Vercellensis,* &c. *librorum de imitatione Christi auctor asser-us. Quod enim,* inquit, *audio dictum à viro docto non pla-uisse mihi, quòd apologiam Valgrauij aliquando probaue-im, idque significatum à me voce scriptóve, nec dixisse me ecordor vnquam, nec puto scriptum vllum meum demon-strari posse. Monere potui, quod etiam nunc monerem, cùm probamus libros, censere nos in iis nihil pugnare cum fide, a-pertáque veritate, nihil cum pietate & moribus, ad partes vllas non transire, nec pro certo sumere, vel assertum velle, quod dubium solùm controuersúmque fuerit,* &c. *die 20. Aug. ann. 1649.*

Facultas Theologiæ Parisiensis ad annum 1323. magni cuiusdam, & sancti viri opera probauit. Sed cùm ann. 1387. aliquis elogium eo interpretaretur modo, quo meum iste interpretatur, posteri retractarunt, & quam ad amussim intelligendum esset, declararunt. Quin etiam hæc opera reuoluendo plures à se notatas errore propositiones in vnum coniecere libellum, quem Parisiensis scholæ legati Petrus de Alliaco, & alij Romanæ Curiæ obtulerunt.

Baronius post probatum à Gregorio XIII. Martyrologium Romanum, è mense Ianuario Synoridem Virginem, & Martyrem expunxit. Quod appellatiuum nomen loco proprij sumptum erat.

Auctor ipse Gallicani Martyrologij post secundas vt opinor cogitationes, in apologia pro Dionysio Parisiensi hæreticis Ioannem Scotum, seu Erigenam accensuit, cui vt vero Martyri natalem semel atque iterum adscripserat: semel quidem quarto idus Nouembris in supplemento Martyrologij, iterum verò in Appendice litera I.

Quid plura? Qui nobis Gallicanum Martyrologium obiicit, hoc ipso loco in duobus auctori contradicit. Nam auctor ille Renatum ex Andegauensi Episcopo Surrentinum non facit, at iste facit. Deinde auctor ille Maurilium inter, & Renatum collocat Nefindum, seu Nefingum Episcopum, quem iste ex hominum albo tollendum esse docet: pro quo scribemus apologiam ex principiis apologiæ pro Renato, vt hoc insigni specimine constet, qua ratione ab isto Ecclesiasticæ quæstionis veritas asseratur.

Quamuis autem hæc omnia sic exponere, quidquid est in apologia pro Renato, confutasse sit, ego tamen decreui vtramque Dissertationem meam rursus edere, & singillatim expendere, quæ vel auctor meis rationibus respondet, vel de nouo producit.

In priori Dissertatione priores meas rationes tueor, & confirmo, quibus tres alias adiungo, decimam, vndecimam, & duodecimam. Sed in iis omnibus tres sunt numero, quarum vnaquæque propriam huic materiæ demonstrationem exhibet, secunda, sexta, & octaua. Demonstrationem dico, quòd vnaquæque vel à rudibus in hoc studij genere atque inexercitatis hominibus consensum extorqueat. Reliquæ verò cordatis, & rerum antiquarum gustum habentibus sufficiunt, immo vna vel altera, vel certè tres sufficerent, quibus aliæ locum mantissæ præstarent.

In posteriori Dissertatione, quæ tres partes cõtinet, multarum rerum fit accessio. Primùm quidẽ Renati historiam pluribus testimoniis, quæ vel mihi occurrerunt, vel in apologia proferũtur, augeo. Deinde, quas iste è meis obseruationibus appetiit, sustineo, & addo nouas, quibus edita recèns monumenta configuntur, & alia historiæ lumina rebus nostris

ffulgent. Nouæ porro ſunt 7. 8. 9. 10. 11. 13. 14. 15. 16. 17. Tum demum fugientem ſequor aduerſarium, qui vnum ut alterum ex iis, quæ ad maius hiſtoriæ Renati firmamentum requiri viſa ſunt, attigit, nec attigit quidem, niſi poſtquam violentas manus attulit innocentibus paginis. Suis locis facinus oſtendo, & ignauiter impactis medeor vulneribus. Præterea circumſpectis iterum iis omnibus, quæ de Renato in eius hiſtoria dicuntur, ſignifico, ea deeſſe teſtimonia, quæ ſi haberentur, mecum auctor apologiæ triũpharet, & adiicio quæ ſunt parag. 1. 2. 3. 6. 11. 12. 20. 21. 22. 23 24.

In vtraque Diſſertatione, quanta poſſum moderatione diſſero, & quod in Platone laudat Gellius, indiſſimulabili veritate diſſero. Hæc enim hominum mendacio non eget. *Melior eſt vera ſtipula*, vt ait Auguſtinus, *quàm lux inani cogitatione pro ſuſpicantis voluntate formata.* Ceterùm illa omnia, quæ ad certiorem Renati hiſtoriam deſiderantur, non eſſe tantopere ſpernenda, vt auctor apologiæ ſpernit, eum ſingulari docemus exemplo, quod Bellarminus memoriæ prodidit libro 4. de Rom. Pont. cap. 9. vbi agit de retinendo in ordine Pontificum, & Sanctorum Felice II. qui exuli Liberio ſuffectus eſt. Rem igitur ſic narrat: *Omnia Martyrologia antiqua, tam excuſa, vt Beda, Adonis, Vſuardi, quàm etiam manuſcripta, 4. Calend. Auguſti ponunt memoriam Sancti Felicis II. Papæ, & Martyris, qui Conſtantium hæreticum declarauit. Adde quòd Sanctus Gregorius primus, tam in Antiphonario, quàm in Sacramentario ponit integrum officium Eccleſiaſticum legendum ad Miſſam in die S. Felicis Pontificis, & Martyris 4. Calend. Auguſti. Eſſe autem eum Felicem Romanum Pontificem, & proinde eum, de quo loquimur, teſtatur Micrologus libro Eccleſiaſticarum obſeruationum cap. 43. Cùm igitur Eccleſia Catholica à mille iam annis hunc Felicem colat, vt Papam & Martyrem, non debet is excludi à numero Pontificum, etiamſi nullam aliam rationem proferre poſſemus.* Sed videat, quid ſecutum ſit: *Cùm Romæ ambigeretur anno 1582. deberétne hic S. Felix in nouo Martyrologio collocari, caſu inuenta fuit area marmorea in Baſilica Sanctorum Coſmæ & Damiani, cum hac inſcriptione in marmore inciſa antiquis characteribus: Hìc iacet corpus Sancti Felicis Papæ, & Martyris, qui Conſtantium hæreticum damnauit, & incidit*

DISSERTATIO

ONTINENS IVDICIVM de auctore vitæ sancti Maurilij Andegauensis Episcopi ex MS. Andegauensi erutæ.

EXTAT Andegaui penes V. Cl. Claud. Menardum manuscripta quædam S. Maurilij vita, quæ Gregorio Turonensi Episcopo tribuitur. Sed multa sunt, quibus Gregorium non esse huius vitæ auctorem perspicuè comprobatur.

Totus inprimis prologus, qui sic se habet: *Sanctissimo ncta Parisiorum matris Ecclesiæ præsulum domino Germa-,Gregorius Turonicæ metropolis humilis Episcopus salutem. etistis sanè vt vitas & miracula, quæ Dominus per beatum 1aurilium atque Albinum Andecauorum antistites opera- dignatus est, quas Fortunatus presbyter luculento sermone escripserat, scriptorum vitiis iam pæne deprauatas nostræ au- oritatis peritia corrigeremus, vestræque deuotioni, qui prio- um exemplis proficere cupitis, misissemus. Sed nos recolentes, id egerimus, perfidorum nos latratibus atque morsibus, ui doctrinam quærere nesciunt, sed inuidere, dilaniari, du- licis tædij mœrore concitamur; dum & vestris non parere ius- onibus, ipsisque metuere displicimus. Etsi tamen omnipo- ntis promissionibus, qui per Prophetam suum loquens inno- uit, quia qui seminant in lacrymis, metent in gaudiis, ve- ra satisfaciam voluntati. Scimus namque quia si qua di- na sunt imitari, & alteri sæculo possunt prodesse, sanctissi- norum Christi confessorum vitas atque virtutes stilo quis igesserit, correxeritque vel rustico, & sibi mercedem, & imi-*

tari volentibus conferet ad vsque salutem. Permaximas igitur pretiosissimorum Christi confessorum Maurilij atque Albini virtutes non loqui, siue corrigere, quia memoria digna sunt, crimen ducentes, plebeio, vt postulastis, vtentes calamo, quo potiùs vulgaribus prosint, de pluribus pauca sectando, sed tamen Deo teste verissima corrigeremus, omittentes plurima à Fortunato edita, quæ fortassis infidelibus incredibilia viderentur. quæ verò à nobis correcta sunt, sanctitudinis tuæ petitioni digniùs offerenda putauimus, vt qui illos imitari gaudetis, illorum proficiatis virtutibus informati. Explicit prologus.

§. I.

HÆc inscriptio aliena est ab vsu illius temporis, quo Gregorius Turonensis vixit: *Sanctissimo sanctæ Parisiorum matris Ecclesiæ præsulum domino Germano, Gregorius humilis Turonicæ metropolis Episcopus, salutem.* Nullum enim reperies, qui ante Gregorium vel æuo Gregorij, cùm ad Episcopum scriberet, similem titulum vsurparit. Deinde nondum mos inoleuerat, vt quælibet Ecclesia sancta mater Ecclesia vocaretur. non quòd vocari non possit, sed quòd quælibet loquendi formula cuilibet non congruat ætati. Tum Gregorius appellat se Turonicæ metropolis Episcopum, quod duabus illius epistolis contrarium est. Priori quidem, quæ quatuor de miraculis beati Martini libris præfigitur: *Dominis sanctis, & in Christi amore dilectissimis ac filiis Ecclesiæ Turonicæ mihi à Deo commissæ Gregorius peccator.* Posteriori, (si tamen est Gregorij) qua Sulpitio Bituricensi dicatur historia Septem Dormientium. *Beatissimo Patri Sulpitio Dei gratia Bituricensi Archiepiscopo, Gregorius Turonorum indignus Sacerdos in Deo salutari nostro salutem perpetuam.* Tunc Episcopi modestiores affectabant titulos in litteris, quas ad alios præsules mittere consueuerant. quamuis qui scribebant, eos, quibus scribebant, magnificis verbis alloquerentur, & aliter in Conciliorum subscriptionibus aliquando sese gererent. Præterea cùm Gregorius in Historiis Francorum, vel in aliis operibus identidem de Turonensibus Episcopis loquitur, eos nunquam Turonicæ metropolis, sed vrbis seu ciuitatis Turonicæ Episcopos appellat; vel Turonicam regere Ecclesiã, aut Cathedrã dicit.

Vt huic rationi respondeas, Dialecticæ leges negligis, quas ab aliis violatas perperam conquereris. Dignum auctore te artificium! Orationem meam in varia membra distrahis, & sigillatim probas, quod nusquam negaui, ante Gregorium Turonensem Episcopos appellatos fuisse, dominos, sanctos, sanctissimos; Ecclesias priuatas, matres, sanctas, & sic per nouemdecim paginas à diuisis ad coniuncta, vt aiunt Dialectici, philosopharis. Sed mirum! In opere tam longo oblitus es aliqua veterum auctoritate confirmare, dignam esse Gregorio hanc ad Germanum allocutionem: *Sanctissimo sanctæ Parisiorum matris Ecclesiæ præsulum domino Germano.* Quid sibi vult, *Sanctissimus sanctæ Parisiorum matris Ecclesiæ præsulum dominus Germanus?* Vel enim Germanus anteponitur pluribus Parisiensis Ecclesiæ Episcopis, qui eidem Ecclesiæ eodem præessent tempore, vel aliis, qui omni retro ætate præfuissent: si somniareris primum, in Ecclesiasticam disciplinam peccares, & in grauissimam reprehensionem incurreres: si verò secundum de Germano, quamdiu vixit, assereres, vix ac ne vix quidem sustinereris. Germanus enim quamlibet sanctissimus, in viuis dum fuit, præferri nec debuit, nec potuit Dionysio, qui Parisiis Euangelium Christi nunciauit, nunciatúmque suo tandem sanguine consecrauit. Nec præferri quoque debuit, aut potuit Marcello, qui tunc habebatur Confessor illustrissimus.

Præterea tua diligentia meam rationem efficis inuictam. Scilicet, nullum ex antiquitate tota profers exemplum, quod cum inscriptione, qua de agitur, conueniat. Rem mutua contentio facilè docebit: Scribit quidem Fortunatus ad Gregorium Turonensem: *Domino sancto, & dote meritorum sacris altaribus adscito Gregorio Papæ Fortunatus.* Deinde ad Euphronium Turonensem quoque Episcopum: *Domino sancto, & meritis Apostolico domno & dulci Patri Euphronio Papæ Fortunatus:* sed non scribit: *Sanctissimo sanctæ Turonorum matris Ecclesiæ præsulum domino Gregorio, vel Euphronio Fortunatus.* Gregorius magnus scribit quidem, *Reuerendissimo & sanctissimo fratri Secundino Episcopo*, sed non scribit, *Sanctissimo sanctæ Taurominij matris Ecclesiæ præsulum domino Secundino.* Scribit quidem Paulinus, *Beatissimo & peculiariter domino semper in Christo*

domino nobis patri Delphino: ſed non ſcribit *Sanctiſsimo ſanctæ Burdegalenſium matris Eccleſiæ præſulum domino Delphino*. Scribit quidem Eucherius, *Domino ſancto & beatiſsimo in Chriſto Siluio Epiſcopo, Eucherius Epiſcopus*; ſed non ſcribit *Sanctiſsimo ſanctæ N. matris Eccleſiæ præſulum domino Siluio Eucherius humilis Lugdunẽſis metropolis Epiſcopus*. In Calchedonenſi Concilio ſubſcribit quidem *Euſtochius miſericordia Dei Epiſcopus ſanctæ Dei Eccleſiæ Docimij Phrygiæ*, ſed non ſubſcribit *Euſtochius miſericordia Dei ſanctæ Dei matris Eccleſiæ Docimij Phrygiæ*. In Conſtantinopol. Concilio ſub Menna ſubſcribunt quidem Epiſcopi hac forma: *Ego Sabinus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Canuſinæ: Ego Ruſticus Epiſcopus ſanctæ Eccleſiæ Feſulanæ*. ſed non ſubſcribunt hac forma, de qua quæſtio eſt, *Ego Sabinus Epiſcopus ſanctæ matris Eccleſiæ Canuſinæ: Ego Ruſticus Epiſcopus ſanctæ matris Eccleſiæ Feſulanæ*. Ex quo apparet, hoc à me verè ſcriptum: *Æuo Gregorij Turonenſis nondum mos inoleuerat, vt qualibet Eccleſia ſancta mater Eccleſia vocaretur. non quòd vocari non poſsit, ſed quòd qualibet loquendi formula cuilibet non congruat ætati*. Taceo alios eiuſmodi titulos, quibus tuas paginas inutiliter oneras, & quibus tuam euertis reſponſionem, & meam rationem omnino confirmas. Quamobrem tibi gratias agerem, ſi has veteres inſcriptiones & honoris titulos fuiſſet operoſum præuidere.

Cæterùm de titulo Turonicæ metropolis per octo ferè paginas ludis operam, qua nihil adfers, quod cauſæ ſeruiat præterquam meæ.

§. II.

SECVNDÒ, quæ ſequitur oratio, manifeſtiſſimè prodit, hanc Maurilij vitam ad Gregorium nihil attinere: *Petiſtis, vt vitas & miracula, quæ Dominus per beatum Maurilium atque Albinum Andecauorum antiſtites operari dignatus eſt; quas Fortunatus preſbyter luculento ſermone deſcripſerat, ſcriptorum vitiis iam pæne deprauatas, noſtræ auctoritatis peritia corrigeremus*. Hîc igitur Germanus Pariſienſis Epiſcopus à Gregorio Turonenſi petit, vt editam à Fortunato Maurilij vitam corrigat, quippe quæ ſcriptorum vitiis iam pæne deprauata fuerat. Sed cùm æqualis Gregorio Fortunatus extiterit, quî quæſo edita à Fortunato Mau-

rilij vita potuit labentium temporum vices ac detrimenta ſentire? quî potuit librariorum vitiis & erroribus ſubinde inquinari? Ad annum 579. Germanus Pariſienſis exceſſit, vt ex Gregorio quidam colligunt lib. 5. Hiſt. Franc. c. 8. *Eodem anno & beatus Germanus Pariſiorum Epiſcopus tranſiit.* & poſt quædam: *ſi quis tamen ſtrenuas virtutes illius, quas in corpore fecit, ſollicitè vult inquirere; librum vitæ illius, qui à Fortunato preſbytero compoſitus eſt, legens cuncta reperiet.* Sed quoniam eadem eſt corruptæ Maurilij atque Albini vitæ ratio, ſuper Albini vita noſtrum audiamus Gregorium lib. de gloria Confeſſorum cap. 96. *Albinus autem Confeſſor, cuius nuper vitæ liber à Fortunato eſt conſcriptus preſbytero, obtinet & ipſe impertiente merito ſuum oſtendi miracula ad ſepulchrum.* Si quo tempore ſcribebat Gregorius, à Fortunato nuper edita eſſet Albini vita, eáne potuit tunc ſcriptorum vitiis iam deprauata eſſe? Ceterùm vt alia deſint rationum momenta, quibus Maurilij vita abiudicetur Gregorio, tamen falſum eſſe, illam ab eo ſcriptam, apertè hoc vnico, quod iam expoſuimus, argumento conuinceretur. Auctor huius operis quod Gregorio perperam tribuitur, credidit, aut ab aliis credi voluit, Fortunatum à Gregorio plurimum diſtare. Sed in vno deprehenditur imperitia, in altero doli mali crimen admittitur.

Huic rationi non antè reſpondes, quàm & annum, quo Germanus Pariſienſis exceſſit, & poſteriorem rationis partem mihi clepſeris. Vtrumque igitur reſtitue, quo firmata prior pars vim integram conſeruat. Poſterior autem rationis pars incipit ab illis verbis: ſed quoniam eadem eſt corruptæ Maurilij, atque Albini vitæ ratio, quibus ablatis Cyrillum Hieroſolymitanum obiicis Epiſcopum, qui ſub finem præfationis Catecheſeωn lectores monuit, vt qui eas deſcriberent, nihil immutarent, aut à ſincero textu auctoris exerrarent. Sed ad rem quid iſtud pertinet?

Deinde obiicis Auguſtinum, qui libro 2. Retractationum cap. 13. queritur, ſuas in Iob annotationes fuiſſe à librariis deprauatas. non abnuo. Sed hîc Fortunatus non queritur, librarios ſuum de vita Maurilij & Albini opus corrupiſſe. ſi res ita contigiſſet, Fortunatus poterat hoc facere, qui viuebat adhuc, & Gregorio ſuperuixiſſe creditur. Quinetiam, ille ipſe eſt, qui vt opus illud à mendis expurgaret,

consultiùs rogari debuit, quàm Gregorius, qui conscribēdis operibus aliis occuparetur. Fortunatus Maurilij & Albini vitam componit, vita hæc Fortunato viuente variis librariorum vitiis aspergitur. Tunc Germanus Parisiensis non Fortunatum, sed Gregorium rogat, vt eam vitam à mendis expurget. Dicimus istud & ratione & exemplo carere. Sed auctor Maurilij vitæ, quam abiudicamus Gregorio, cùm temporum doctrinam minimè calleret, ad istud mentis oculos non adiecit, quod illius verba, si ex seipsis considerentur, satis apertè significant. *Petiſtis* (inquit in persona Gregorij) *vt vitas & miracula, quæ Dominus per beatum Maurilium atque Albinum Andecauorum antiſtites operari dignatus est, quas Fortunatus presbyter luculento sermone descripserat, scriptorum vitiis iam pæne deprauatas, nostra auctoritatis peritia corrigeremus.* De Fortunato perinde, ac de auctore mortuo loquitur, quod à Gregoriana scribendi methodo prorsus abhorret.

Deinde à Fortunato scriptam Albini vitam, non à seipso restauratam laudat Gregorius, qui quòd res esset sine dubio non taceret: cùm ex aliis, tum ex hoc quoque quòd post obitum Germani, scriptam à Fortunato vitam & Albini laudarit. Istud autem ex libro de gloria Confessorum manifestum est. Nam de Germano Parisiensi Episcopo sic loquitur cap 90. *Ingrediente autem Chilperico Rege in vrbem Parisiacam, postridie quàm Rex ingressus est ciuitatem, paralyticus, qui in porticu basilicæ sancti Vincentij, in qua beatus Germanus requiescit in corpore, residebat, dirigitur: mane autem facto exspectante populo gratias beato antiſtiti referebat. Nam sæpè ibi & gressus paralyticorum, & cæcorum visus virtute sancti restituuntur, & rarò aduenit eius solemnitas, quin ibi eius virtus ostendatur.* Quibus verbis planum efficitur, hunc de Confessorum gloria codicem aliquot post excessum Germani annis editum fuisse. Deinde cap. 96. *Albinus autem Confessor, cuius nuper vita liber à Fortunato est conscriptus presbytero, obtinet & ipse impertiente merito suum ostendi miracula ad sepulchrum*, &c.

Porro inter Augustini annotationes in Iob, & historicum opus latinum discrimen intercedit. Annotationum enim liber cùm in varia & breuia diuidatur commata, si sæpè sæpius, vt apparet, exscribitur, librariorum additiones, vel-

detractiones facilè admittit. Historicum verò opus, cuiusmodi fuit Maurilij, vel Albini vita, quæ nec in breuia & diuersa commata scinditur, nec eodem tempore literis pluries commendatur, non tam facilè librariorum næuos adsciscit. Id labentium annorum vicibus & diuersis subinde notariis tribui consueuit. Quare Augustinus non perinde de reliquis libris, qui annotationum formam non habent, atque de annotationibus in Iob conquestus est.

Tum demum obiicis acta Constantinopolitanæ Synodi, quæ sub Agathone habita est. Sed immeritò. Nam qui hæc acta corrupta esse dicunt, non ex oscitantia scribarum, sed per fraudem Theodori Monothelitæ corrupta esse dicunt. In hac obiectione pro vero sumis, quod à plerisque controuertitur, & falsum probatur ab erudito viro Francisco Combefis ordinis Prædicatorum Theologo, qui Monothelitarum historiam nuperrimè confecit.

Sic autem defensa hæc nostra ratio in demonstrationem huic materiæ propriam euadit. Germanus Parisiensis ex subdititij Gregorij prologo Gregorium Turonensem enixè rogat, vt Maurilij atque Albini Andegauensium præsulum *vitas scriptorum vitiis iam pæne deprauatas emendaret.* Gregorius Germani votis obsecundat, vtriusque sancti historiam reficit, & Germano dedicat ante annum 579. vel eodem certè anno, sed ante 28. Maij diem, quo vitam cum morte commutauit. Gregorius verò cap. 90. libri de gloria Confessorum Germani iam defuncti miracula recenset, & cap. 96. Albini virtutes quoque refert, quas Fortunatus peculiari libro nuper conscripserat. Ex quo perspicuum est, inprimis ante Germani mortem nondum corruptum fuisse Albini vitæ librum, quem nuper à Fortunato editum Gregorius testatur: deinde, si Gregorius Albini vitam vllo vnquam tempore refecit, pluribus post Germani mortem annis refecisse. Hæc autem duo cùm ita sint, Maurilij vita, quæ Germano Parisiensi dicatur, tam non est à Gregorio Turonensi scripta, quàm ab Hesiodo vel Homero. Certissimum est Rainonis, vel Archanaldi opus, quod Gregorium auctorem mentitur.

§. III.

TERTIO, profitetur auctor Gregorium à Germano fuiſſe rogatum, vt deprauatam Albini vitam emendaret; at Gregorius ſeſe id feciſſe nuſquam teſtatur, cùm teſtandi oblata eſt occaſio cap. 96. libri de gloria Confeſſorum, vbi patrata ad ſepulchrum Albini miracula commemorat. Et certè cùm apud Gregorium incidit ſermo de quodam Sancto, cuius vitam ſcripſit Gregorius, id meminiſſe vix omittit. Cui rei fidem faciunt exempla, quæ ſequuntur. Ex lib. 1. Hiſt. cap. 40. de ſancto Illidio. *Quod in libro illo, quem de eius vita conſcripſimus, memorauimus.* Ex eodem lib. cap. 42. de duobus Amantibus: *Hos vſque hodie duos Amantes vocitare loci incolæ voluerunt: meminimúſque de his in libro miraculorum.* Ex lib. 2. Hiſt. cap. 5. de Seruatio Tungrorum Epiſcopo: *cuius beatum corpus qualiter poſt multorum temporum ſpatia ſit tranſlatum, in libro miraculorum ſcripſimus.* Ex eodem lib. cap. 21. de Abrahamo Abbate: *qui fide atque operibus Abrahæ illius prioris refulgebat, ſicut in libro vitæ eius ſcripſimus.* Ex eodem lib. cap. 36. de Quintiano Rutenorum Epiſcopo: *Reliqua verò de ſancto Quintiano tam inſidiæ, quas pertulit, quàm illa, quæ per eum Dominus operari dignatus eſt, ſcripta ſunt in libro vitæ eius:* quæ extat apud Gregorium cap. 4. de vitis Patrum. Ex lib. 3. Hiſtor. cap. 2. de eodem Quintiano poſtea Aruernorum Epiſcopo: *Reliqua verò quæ geſſit, tam virtutes, quàm tempus migrationis eius, ſcripta ſunt in libro, quem de eius vita compoſuimus.* Ex eodem lib. cap. 12. de ſceleſtis quibuſdam nebulonibus ad Iuliani martyris ſepulchrum clamantibus: *Cur nos martyr ſancte ſic crucias, ſicut in libro virtutum eius conſcripſimus.* Ex lib. 5. Hiſt. cap. 6. *Anno verò, quo ſuprà, id eſt, quo mortuo Sigiberto Childebertus filius eius regnare cœpit, multæ virtutes ad ſepulchrum beati Martini apparuerunt, quas in illis libellis ſcripſi, quos de ipſius miraculis componere tentaui.* Ex eodem libro cap. 7. de Senocho preſbytero: *Idem ſuper infirmos multas virtutes fecit, quas in libro eius vitæ ſcripſimus.* Ex eodem lib. cap. 9. de Caluppa recluſo: *hic ab infantia ſua ſemper religioſus fuit.* & poſt pauca: *ſicut in libro eius vitæ ſcripſimus.* Ex eodem lib.

lib. cap.10. de Patroclo recluso; *qui octogenaria ætate abscedens à sæculo migrauit ad Christum: scripsimus de eius vita libellum*. Ex eodem lib. cap. 12. *transiit posthac & Brachio Abbas cellulæ Manatensis. Fuit autem genere Thoringus in seruitium Siginaldi quondam Ducis venationem exercens, sicut alibi scripsimus*. Ex lib. 8.cap.2.de Auito Abbate: *erat enim ibi basilica sancti Auiti Abbatis, cuius in libro miraculorum meminimus*. Hæc autem cùm summam Gregorij in citandis, quos ediderat, libris diligentiam ostendant, nulla videtur esse dubitatio, quin correctam à se Albini vitam indicasset in fine laudati cap. 96. Potuisset quippe facilè vt de Quintiano semel atque iterum, sic & semel de Albino dicere: Reliqua scripta sunt in libro, quem de eius vita reiectis librariorum vitiis composuimus rogatu Germani Parisiensis Episcopi. Sed istud non dixit Gregorius ad calcem illius cap. 96. de gloria Confessorum, quia quod non fecit, id tanquam à se factum dicere non licuit. Historiarum autem libros vltimum esse Gregorij opus certissimum est, & Gregorius ipse in eorum fine non obscurè testatur. Quo enim anno historiis, eodem & vitæ terminum imposuit. vt colligitur ex Breuiario vitæ illius.

Vt huic rationi respondeas, cunctam illius probationem subtrahis, quæ initium ducit ab his verbis: *Et certè cùm apud Gregorium incidit sermo de quodam Sancto, cuius vitam ille scripsit, id meminisse vix omittit*, & cetera quæ perpetuam hac in re diligentiã ostendunt. Vbi verò totam hanc argumenti probationem ex oculis legentium eripis, statim exclamas, ô admirabilem argumentandi rationem! & monstra facilè tibi fingis, quæ debelles, atque vbi Gregorianum scribendi characterem expendimus, prouocas ad sanctos Lucam, & Paulum, qui alium à Gregorio scribendi genium habuerunt. Sua est vnicuique scribendi ratio, qua secernitur ab alio, & internosci potest adhibitâ diligentiâ.

§. IV.

QVARTÒ, neque Maurilij, neque Albini vita in libro, quem de vitis Patrum edidit Gregorius, reperitur. si autem vtraque à Gregorio edita est, cur in hoc-

ce libro neutra reperitur, nisi quòd neutra sit Gregorij?

Hoc argumentum, cuius partes variè inuertis, sic aggrederis: *Nemo sanæ mentis inferat, vitas sanctorum Maurilij & Albini non fuisse scriptas à Gregorio, ex eo quòd illæ non reperiantur insertæ libro de vitis Patrum ab eodem Gregorio conscripto.* Nec malè quidem illud inferimus, cùm quæ sancti cuiuspiam vita Gregorio hactenus verè tributa est, in eo solo de vitis Patrum codice reperiatur. Cur autem Maurilij vel Albini vita, si opus foret Gregorij, extra septum illud vagaretur? Deinde Gregorius non palantes & dispersas Patrum vitas, sed vnum de vitis Patrum librum scripsisse se tradit ad calcem Historiæ Francorum; *Decem,* inquit, *libros historiarum, septem miraculorum, vnum de vitis Patrum scripsi.* quas ergo Gregorius Patrum vitas composuit, ille, vel Amanuenses corpus in vnum redegerunt. quare insanæ mentis non est abiudicare Gregorio vitam, quæ in hoc corpore non inuenitur. Pergis verò: *Quo iure enim tenentur auctores opera operibus infercire, & vt prouerbio dicitur, crambem recoquere ad fastidium, easdem narrationes iterando vel commemorando?* Siccine tuum & nostrum proscindis Gregorium, qui dum vnum de vitis Patrum codicem compegit, *opera operibus infercit, & crambem recoxit ad fastidium easdem narrationes iterando vel commemorando?* siccine vt nobis incommodes, Gregorium immeritò suggillare non vereris?

§. V.

QVINTÒ, prologum sequitur elenchus capitum vitæ beati Maurilij in hunc modum: *vnde Maurilius ortus fuerit, & qualiter à Martino eruditus, & à beato Ambrosio vsque ad lectorem ordinatus, postmodum Martinum sequutus, cæteros gradus ab ipso acceperit.*

Qualiter à Martino iam presbyter seiunctus Calonnam villam iam expetierit, indéque idolum destruxerit, & Ecclesiam ibi extruxerit; & postmodum illam diebus multis incoluerit, & multas ibi per eum Dominus virtutes fecerit. Et sic de reliquis: sed ista scribendi methodus ad Gregorium Turonensem non pertinet. In Patrum enim vitis, quas vno li-

bro complexus est, aut in libro de miraculis secundo, qui Iuliani martyris historiam continet, nihil simile comperies. Quinetiam ex antiquioribus Gregorio scriptoribus nullus est, qui cùm Sancti alicuius vitam composuit, huic tractandarum per singula capita rerum syllabum præfixerit.

In huius argumenti solutione primùm mihi, bona cum venia dixerim, sic imponis: *Quia in manuscripto Claudij Menardi, de quo Launoio suscepta disceptatio est, vitæ sancti Maurilij præmittitur Elenchus capitum, compendiosè complectens quæ in ea narrantur, vult eum à nobis adscribi Gregorio.* Serua tibi quod tuum est, & redde mihi quod meum: Hîc ego disertè pronuntio, istam scribendi methodum ad Gregorium Turonensem non pertinere.

Deinde, ais habere te, *inter vetustissimos codices vitæ sancti Maurilij quosdam, qui præferant Elenchum istum, alios qui prorsus illum non habeant.* De istis posterioribus, quos videre non licuit, tibi credere volo, sed illis prioribus adiicio vnum sancti Germani Pratensis, alterum clarissimorum virorum Puteanorum fratrum codicem, qui præ antiquitate sua ad Rainonis & Archanaldi, id est, opificum tempus accedit. Cùm ergo maior & melior pars exemplarium synopsim vitæ Maurilij præ se ferat, non sine ratione coniicimus eam esse opus Rainonis vel Archanaldi, qui vitam Maurilij, prout extat in his manuscriptis codicibus, sub nomine Gregorij digesserunt, & à maioribus acceptam interpolarunt, & ea, quæ Magnobodus non habet, addiderunt. Surianam Maurilij vitæ editionem non moror, propter ea, quæ obseruatione quarta notanda esse duxi.

Elenchum capitum excipiunt ista, quæ totius operis interpolatorem designant: *Raino quondam sancti Martini cotidianus discipulus & semper canonicus, ac postmodum sanctæ Andegauensis Ecclesiæ ex initio Christianitatis trigesimus tertius humilis Episcopus, ob honorem omnipotentis Dei, necnon & eiusdem sancti Maurilij, atque remissionem peccaminum animæ suæ, anno Incarnationis Dominicæ adhuc in* DCCCCV. *& ordinationis Episcopatus sui in* XXV. *hanc vitam scribere ac requirere iussit. Archanaldus sancti Martini discipulus & Diaconus iussu præfati domini Rainonis scripsit, & requisiuit.*

§. VI.

SExtò, Gregorius Turonensis, qui sancti Martini historiam adæquè nouerat, Martinum sub Iuliano Cæsare iam Episcopum fuisse nunquam dixisset. At istud disertè traditur cap. 1. huius vitæ Maurilij: *Maurilius ab Ambrosio Mediolanensi lectoris officium accepit. Interea pater ipsius, qui nobilitate ac viribus totam pene regebat Hesperiam, communi sorte prauentus hominem exuit. Maurilius verò sub Iuliano Cæsare Martinum, qui Turonicam iam regebat Metropolim, expetiit, & ceteros gradus Ecclesiasticos, gratiámque sacerdotij Martino cogente suscepit.* A morte Iuliani Imper. duodecimus aut decimus tertius fuit annus ille, quo Turonicam Metropolim Martinus regere cœpit. Tam supinus error Gregorij non est, sed eorum qui Maurilij vitam sub nomine Gregorij reconcinnarunt.

Inprimis me mala in allegandis auctorum scriptis fide versatum caussaris: quid ita? quia paginam de vita Maurilij ferè integram non retuli, ea retulisse contentus, quæ ad argumentum sufficerent, sed quod relatis à me verbis vim inferret, aut robur adderet, de meo adieci nihil. Quid ergo meam hac in re fidem accusas? obseruationem secundam lege, & quæ hoc loco non necessaria prætermisi, reperies.

Deinde, varias Chronologorum de annis Iuliani opiniones commemoras, & aliis plures annos Iuliano, aliis pauciores tribuentibus sic concludis: *Non potuit igitur fieri, quod dicit Launoius, vt post duodecimum, vel decimum tertium annum à morte Iuliani Martinus inciperet regere Turonicam metropolim, sed probabile relinquitur, pontificatum Martini cœpisse sub Iuliano.* Hac in re quod mihi videtur, sic expono: secutus sum Cardinalis Baronij Chronologiam, quamuis fortè non probetur omnibus, sed cuius sequerer Chronologiam, parum interfuit, quòd Gregorio res sit extra quàm certa, beatum Martinum haud imperante Iuliano, sed Valente & Valentiniano creatum fuisse Turonensem Episcopum. Testatur ipse sibi Gregorius libro 10. Historiæ Francorum cap. 31. in catalogo Turonensium Episcoporum: *Tertius sanctus Martinus anno octauo Valentis & Valentiniani Episcopus ordinatur,* & post alia: *Consummato*

ergo præsentis vitæ cursu obiit apud Condatensem vicum vrbis suæ anno octogesimo primo ætatis : & post alia: *sedit autem annos viginti sex, menses sex, dies viginti septem.* Creatus est igitur, vt apparet, Episcopus anno ætatis quinquagesimo quinto, qui in annum Valentiniani & Valentis octauum incidit.

Deinde idem colligitur ex libro 1. Hist. Francorum cap. 34. *Huius* (Constantini Magni) *imperij anno vndecimo cùm post excessum Diocletiani pax reddita fuisset Ecclesiis, beatissimus præsul Martinus apud Sabariam Pannoniæ ciuitatem nascitur.* At si quis ab huius Imperatoris vndecimo Martini annos numeret, quinquagesimum quintum in Valentiniani & Valentis octauum incidere comperiet.

Tum ex eodem libro c. 43. *Arcadij verò & Honorij secundo imperij anno S. Martinus Turonorum Episcopus, plenus virtutibus & sanctitate, præbēs infirmis multa beneficia, octogesimo & primo ætatis suæ anno, Episcopatus autem vicesimo sexto apud Condatensem diœcesis suæ vicum excedens à sæculo feliciter migrauit ad Christum.* At detractis inde Episcopatus viginti sex annis, quinquagesimus quintus cum Valentiniani & Valentis octauo recurret.

Deinde ex verbis indidem proximè sequentibus: *Transiit autem media nocte, quæ dominica habebatur, Attico, Cæsarióque Consulibus.* At horum Consulum annus ab octauo Valentis & Valentiniani vicesimus sextus est, & Martini quinquagesimus quintus, quo summum sacerdotium accepit.

Tum demum ex libro 1. de miraculis sancti Martini cap. 3. *In quo* (Episcopatu) *gloriosam & pæne inimitabilem vitam per quinquennia quinque, bis insuper geminis mensibus cum decem diebus octogesimo primo ætatis suæ anno, Cæsario & Attico Consulibus nocte media quieuit in pace.* Quibus ex verbis idem quod antea confirmatur. Hæc igitur ordinationis sancti Martini epocha, cùm apud Gregorium certissima sit, ipsi Gregorio tribui non potest Maurilij vita, in cuius exemplaribus editis vel manuscriptis constantissimè legitur, beatum Martinum imperante Iuliano Turonensem metropolim rexisse.

Nunc vel ab vndecimo Constantini, quo natus est Martinus, annos vitæ Martini, vel ab Arcadij & Honorij se-

cundo, quo Martinus obiit, vel ab Attico & Cæsario, quibus quoque Consulibus obiit, Martini annos in sede Turonica sursum versus computa quantum volueris, & vtraque ratione calculum siste in quinquagesimo quinto, quo factus est Episcopus, imperante Iuliano factum fuisse Episcopum nunquam deprehendes.

En altera demonstratio, qua fraudes in perniciem veritatis intextæ discinduntur.

Enimuerò fortè dices, hæc verba, *sub Iuliano tunc Cæsare ad textum Gregorij fuisse addita*, sed sine ratione, & sola rei difficultate victus dices. Quippe contradicunt illi omnes codices, quibus Suriana editio comparata est, contradicit Mombritius, contradicunt Parisiensia exemplaria duo, vnum Puteanorum fratrum, alterum sancti Germani Pratensis, contradicunt tres illi vetustissimi Andegauenses manuscripti codices, quorum consensum pro certa lege habendum esse contendis. Itaque cùm nullus bonæ notæ sit codex, qui his verbis careat, maneant illa, & continuò maneat indubitatum velis nolis suppositionis argumentum.

Deinde quæ hîc de patre beati Maurilij dicuntur, si vera sunt, Imperatoris alicuius filius esse debuit. Sed profectò mirabile, ac propè affirmauerim incredibile est, neque de Maurilio, neque de Maurilij parentibus meminisse Paulinum in vita Ambrosij, vel Seuerum in vita Martini, vel etiam Gregorium nostrum in historiis Francorum, vbi cupidissimè meminit eorum, quæ ad splendorem Christianæ religionis in Gallia spectant. Hæc verò sequioris indicia sunt ætatis, in qua qui Sanctorum acta reconcinnarunt, illorum nonnullis parentes dederunt magnates, aut variarum nationum principes ac duces.

Hanc obseruationem cùm aliàs non posses diluere, media sui parte truncasti. Nam illa superuolas omnia, quæ inter *Imperatoris alicuius filius esse debuit*, & , *hæc verò sequioris indicia sunt ætatis* interseruntur. Quibus detractis reliquam orationis meæ partem in inuidiam rapis, atque in hæc verba *totam pæne regebat Hesperiam* commentarium scribis inutilem, & contra te laudas Magnobodum, qui ait quidem nobilem fuisse Maurilium, sed eius patrem totam pæne rexisse Hesperiam non ait, nisi fortassis idem

tibi sit nobili genere procreatum esse, ac totam pæne Hesperiam gubernare.

§. VII.

SEPTIMÒ, duo sunt in capite sexto, quorum vnum Gregorio Turonensi non conuenit, alterum scriptoris *αὐτολογίαν* ostendit: *Quale verò*, inquit, *quantúmque miraculum super eumdem* (puerum, quem precibus Maurilij fœmina sterilis pepererat) *Dominus per beatum Maurilium, postquam sancta Andecauensis Ecclesia Episcopatus honorem accepit, operatus est ad corroborandam fidem fidelium, licèt illud beatus Fortunatus propter minus credentes omiserit, non tacebimus.* At Gregorius Fortunatum nusquam appellauit *beatum*, cùm illum in operibus suis laudauit. In promptu sunt Gregorij de Fortunato testimonia, quæ huic rei fidem præstent amplissimam. Ex lib. 5. Hist. cap. 8. *Si quis tamen strenuas virtutes illius* (Germani Parisiensis) *quas in corpore fecit, sollicitè vult inquirere, librum vitæ illius, qui à Fortunato presbytero compositus est, legens cuncta reperiet.* Ex libro de gloria Confessorum cap. 45. *Vitam tamen huius* (Seuerini Burdegalensis Episcopi) *postquam hæc scripsimus, à Fortunato presbytero conscriptam cognouimus.* Ex eodem lib. cap. 96. *Albinus Confessor, cuius nuper vitæ liber à Fortunato est compositus presbytero, obtinet & ipse impertiente merito suum ostendi miracula ad sepulchrum.* Ex præfatione in libros quatuor de miraculis sancti Martini: *Vtinam Seuerus aut Paulinus viuerent, aut certè Fortunatus adesset, qui ista describerent.* Ex lib. 1. de miraculis sancti Martini cap. 2. *Sed & Fortunatus Presbyter omne opus vitæ eius in quatuor libris versu conscripsit.* Ex eodem lib. c. 15. *sed nec prætereundum est, quod venerabilem conseruum meum Fortunatum Presbyterum retulisse commemoro.* Ex eodem lib. cap. 15. *Et hanc virtutem à supradicto cognouimus Fortunato.* Ex his autem omnino liquet, sic Fortunatum à Gregorio laudari solitum, vt Fortunatus à Gregorio *beatus* nunquam appelletur.

Hîc priorem rationis meæ partem non repræsentas suis absolutam numeris, ne robur in mentibus legentium defigatur, tum tu negas, ea ratione, quam multis Gregorij

testimoniis asserui, Gregorianum scribendi modum agnosci posse: aio verò agnosci posse, Fortunatúmque dici beatum ab alio, qui longo post Gregorium tempore, Gregorio Maurilij vitam appinxit. Iudicium sit penes æquissimos veteris istius monetæ spectatores. Sed & ἀντιλογία facilè demonstratur; si hæc verba, *licèt illud beatus Fortunatus propter minus credentes omiserit, non tacebimus,* committantur cum his aliis, quæ in prologo habentur: *De pluribus pauca sectando, sed teste Deo verissima corrigeremus, omittentes plurima à Fortunato edita, quæ fortassis infidelibus incredibilia viderentur.* In vno loco Fortunatus in vita Maurilij edidit multa, quæ infidelibus incredibilia viderentur. In altero miraculum vnum omittit, ne si proderet, minùs credentes offenderentur.

Bellè omnino inficiaris auctorem vitæ Maurilij de Fortunato ἀντιλογίαν scripsisse, *quia ex dialecticæ regulis ad efficiendam contradictionem requiritur, vt vtraque propositio, affirmans scilicet & negans, enuntietur de eodem subiecto, & eadem ratione eodémque respectu.* Atque ita dilutum esse argumentum vehementer contendis. Iudicent alij. Deinde tibi canis, ἀντιλέγειν & ἀντιλογίαν strictam duntaxat & logicam contradictionem apud auctores Græcos exprimere. Hoc autem qua ratione potuit in mentem venire tibi, qui tot plagulas Græcas tuis illigasti sermonibus? quasi verò ista subtilitate effeceris, vt qui vitam Maurilij scripsit, de Fortunato pugnantia non sit locutus.

Sed quæ de Fortunati consilio doces, audiamus: *Fortunatus*, inquis, *omisit narrationem miraculi de Renato suscitato, quia cùm res esset præter communem ordinem naturæ & longè abhorrens à consuetudine & opinione hominum infidelium, aut ad mira quæcunque hæsitantium, veritus est ne id non crederent, aut non credentes derisui haberent*, sine negandi particula dicere voluisti opinor, *aut credentes derisui haberent.* Itáne verò tantum in Fortunato consilij, tantum prudentiæ! Quorsum igitur quæso te cùm tres suscitatos à Martino mortuos cecinit, veritus non est, ne quis infidelis, aut ad mira quælibet hæsitabundus id non crederet, aut credentes ludibrio haberet? Si quid est in hac responsione roboris, neque Seuerus debuit tres à Martino reuocatos ad vitam homines memoriæ prodere; neque æqua-
lis

lis Fortunato Gregorius scribere Hilarium, Remigium & Genouefam vitæ restituisse mortuos, qui ab eo suis locis tanto pietatis sensu memorantur. Quinetiam si verum esset, Gregorium scripsisse Maurilij vitam, Gregorius non debuit ea, quæ de Renato Fortunatus omisit, literis mandare. Dico ampliùs, quos Christus ad vitam reuocauit mortuos, eorum meminisse Euangelistas non decuit. Vide nunc ac circumspice, quò tua progrediatur responsio, & in quas illa salebras te trahat. Rem non exaggero. Sed si quid mihi simile excidisset, bone Deus, quot in me plaustra conuitiorum exonerauisses!

§. VIII.

OCTAVÒ, decimum sextum caput suppeditat rationem, qua vel vnica suppostoris fraus detegitur. Nam hoc capite Gregorius Papa sic laudatur: *Sanè beato testante Gregorio Papa, fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Hanc autem rationem ita expedio. Maurilij vitam Gregorius Turonensis dedicat Germano Parisiorum Episcopo, qui ad annum 579. obiit, & hoc capite laudat Gregorium Papam, qui anno tantùm 590. Romanam Ecclesiam capessiuit. Deinde hæc verba, *beato testante Papa Gregorio*, non obscurè significant hominem, qui ex hac mundi colluuione iam ad cælum discessit. At Gregorius Turonensis multò ante Gregorium Romanum fatis concessit. Hæc igitur quomodo in Gregorium Turonensem quadrare possunt? Præterea Isidorus Hispalensis cùm opera Gregorij Papæ in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis recenset, vltimo loco ponit homilias, quarum vicesima sexta hîc laudatur. *Gregorius*, inquit, *in exordio Episcopatus sui edidit librum regulæ pastoralis directum ad Ioannem Constantinopolitanæ sedis Episcopum. Idem etiam efflagitante Leandro Episcopo librum beati Iob mystico ac morali sensu disseruit, totámque eius Prophetiæ historiam in triginta quinque voluminibus largo eloquentiæ fonte explicuit. Scripsit & quasdam epistolas ad prædictum Leandrum. Fertur tamen idem excellentissimus vir & alios libros morales scripsisse, totúmque textum quatuor Euangeliorum sermocinando in populis exposuisse: incognitum scilicet nobis opus*; quod certè cùm vl-

timum aut ex vltimis vnum foret, nondum eo, quo scribebat Isidorus, tempore in Hispaniam penetrauerat. At qua temporis serie composita fuerant Gregorij opera, æqualem fere Gregorio Isidorum recensere, non immeritò credi potest. Quamobrem elapsis aliquot in pontificatu annis homilias scripsit, quas lectiones appellat, eásque, vt ipse testatur, ad Secundinum Taurominitanum Episcopum corrigendas misit. Has igitur homilias Secundinus perlegere debuit, & postea Tauromìnio, quod est oppidum Siciliæ, Romam remittere. Deinde oportuit, vt illæ Roma Turonos deferrentur, & à Gregorio Turonensi euoluerentur. Sed Gregorius Turonensis cùm anno Gregorij Romani quinto migrauerit, vt ex breuiario vitæ illius colligitur, antè migrauit, quàm vel Gregorius Papa homiliarum corpus ederet, vel editum ad Gregorium Turonensem perueniret.

Vt decretorium istud argumentum eludas, binas illius partes confundis, & insigniter admutilas: sic enim me disserentem inducis in octaua obiectione. *Citatur in vita illa sententia hæc ex homilia 26. Gregorij magni: Nec habet fides meritum, cui humana ratio præbet experimentum. At Gregorius magnus anno tantùm 590. Romanam Ecclesiam capessiuit. Gregorius autem Turonensis multo ante Gregorium Romanum fatis concessit, nempe anno quinto Pontificatus ab illo initi, ergo non potest quadrare in Gregorium Turonensem, quòd sententiam prædictam ex homiliis illius alterius Gregorij allegauerit.* Tua sunt ista, non mea. Nam ego breuiùs & longè aliter disputo. Mea ratio sic se habet: *Maurilij vitam Gregorius Turonensis dedicat Germano Parisiorum Episcopo, qui ad annum 579. obiit, & hoc capite* (sexto) *laudat Gregorium Papam, qui anno tantùm 590. Romanam Ecclesiam capessiuit.* Si ratio hæc cum ea quam mihi affingis, conferatur, quantum quæso discriminis apparebit? Si ea fide eóque modo philosopharer, quo me philosophantem facis, quicquid habent sordium Augiæ stabula, Herculeo plusquam labore in pectus meum deriuares. Vtvt sit gratiam tibi habeo maximam, quòd ista non bonæ fidei testimonia duo suggeras, quæ meam rationem ita corroborent, vt ad veræ in hac materia demonstrationis conditionem accedat. Primum est his conceptum verbis: *Itaque*

quantumuis reluctetur, fateatur oportet, eandem (Gregorij Papæ) *sententiam in tribus antiquissimis libris manuscriptis proba fidei reperiri, quem consensum pro lege habere debet, cùm ex oraculo Christi in ore duorum vel trium testiũ stet omne verbum. Quibus adiungimus testimonium Mombritij, apud quem tomo 2. eadem* (Gregorij) *sententia legitur in vita sancti Maurilij.* Ego verò tantum abest, vt relucter, vt penitus assentiar, in cuius rei fidem his adiungo exemplaria Parisiensia duo, alterum Puteanorum fratrum, alterum sancti Germani Pratensis. Secundum, quod suggeris, post tres paginas sequitur, & est eiusmodi: *Baronius octauo tomo Annalium probat certissimis argumentis omnes illas* (homilias) *absolutas fuisse anno salutis 592.* Hæc autem duo cùm ita sint, fieri planè non potuit, vt Gregorius Turonensis Germano Parisiensi Episcopo, qui ad annum 579. excessit, Maurilij vitam, in qua refertur memorata Gregorij Papæ sententia, dedicaret. Ad annum 579. quo Germanus Parisiensis migrauit, Gregorius Papa dicitur, qui anno duntaxat 590. scilicet post obitum Germani ferè vndecimo, Papa creatus est. Ad annum 579. Germanum Parisiensem obiisse dico iuxta Baronium, sed si diligentiùs spectetur Gregorij historia, Germanus ad annum 576. vel 577. obiisse dicendus est. Quo enim anno Sigibertus Rex, eodem & Germanus migrauit. At Sigibertum anno 576. vel 577. migrasse ex libro 4. hist. cap. 46. & ex libro 5. cap. 6. & 8. facilè colligitur. Deinde ad eundem illum annum, quo Germanus Parisiensis hominem exuit, laudatur vna ex Gregorij Papæ homiliis, quas anno tantùm 592. hoc est, post mortem Germani ferè decimo tertio absolutas fuisse Baronius certissimis probat argumentis. Clarior non esset demonstratio, quæ radiis solaribus describeretur. Igitur mi homo iure potui ad Ægidium Menagium scribere ψευδεπίγραφον esse vitam Maurilij, cùm eius auctor inscribitur Gregorius Turonensis. Rainonis modò tui vel Archanaldi fidem libera si possis, sed quoad liberaueris, vtrumque, vel alterutrum vitæ Maurilij interpolatorem mecum agnosce.

Pergamus ad secundam argumenti partem, quæ sic se habet: Deinde hæc verba, *beato testante Papa Gregorio*, non obscurè significant hominem, qui ex hac mundi colluuio-

ne iam ad cælum discessit. At Gregorius Turonensis multo ante Gregorium Romanum fatis concessit. Hæc igitur quomodo in Gregorium Turonensem quadrare possunt? sic mihi blandè respondes: *Tu scilicet adeo nouitius tyro es in lingua latina, vt beatum putes non obscurè significare hominem mortuum, quasi in viuentes non conueniat.* At ego certè non dico quod comminisceris, vnico scilicet *beati* nomine defunctum hominem significari. Non sum nescius Gregorij æuo beatos appellari qui viuerent, sed contendo hanc ita comparatam locutionem *beato Papa testante Gregorio*, qua scriptor vitæ Maurilij non affatur Gregorium, sed in testem producit, cum significare, qui iam è viuis excessit. Quod nullo exemplo refellis, & aliàs ego confirmo ex superiori ratione, qua Gregorium vitæ Maurilij non esse scriptorem demonstratum est. Fateor tamen quicquid hac loquendi formula mihi sumo, à te dilui, si à diuisis ad coniuncta valeat consecutio, & argumenta dicacitate soluantur.

Ad reliquam verò argumenti partem quod attinet, hanc vti soluas falsa veris admisces. Siquidem falsum est, Gregorium Turonensem vsquam fuisse Romam profectum: quicquid de Romana Gregorij ad Apostolorum limina peregrinatione, de mutuis cum Gregorio Papa colloquiis, de aurea Cathedra ab eodem pontifice dono accepta, Turonósque aducta in illius apud Surium vita narretur. Istud fingendi occasio captata est ex iis, quæ Gregorius de Diacono suo ad Apostolicam sedem misso, déque reliquiis à Gregorio postea Pontifice acceptis commemorat libro decimo Hist. Francorum cap. primo. *Anno igitur*, inquit, *quintodecimo Childeberti Regis Diaconus noster ab vrbe Roma cum sanctorum pigneribus veniens sic retulit, quòd anno superiore mense nono tanta inundatione Tyberis fluuius vrbem Romam obtexit.* & post alia: *Subsecuta est de vestigio clades, quam Inguinariam vocant. Nam medio mense vndecimo adueniens primum omnium iuxta illud, quod in Ezechiele Propheta legitur: à sanctuario meo incipite, Pelagium Papam perculit. Quo defuncto magna strages populi de hoc morbo facta est. Sed quia Ecclesia Dei absque rectore esse non poterat, Gregorium Diaconum plebs omnis elegit.* & post alia: *ab hoc etiam Diaconus noster reliquias sanctorum vt*

diximus ſumpſit, dum adhuc in Diaconatu degeret. His igitur innixi Gregorianæ vitæ interpolatores inuexerunt ea, quæ iam perſtrinximus. Quòd autem inuexerint, iudicium eſt ex ipſo Gregorio, qui nuſquam tacuiſſet ſe Romam eſſe peregrinatum, à Gregorio Papa honorificè ſuſceptum, & aurea donatum ſede, qua poſtea Turonenſem Eccleſiam nobilitaſſet. Et ſanè poſtremum iſtud memorandi locus oblatus eſt libro 10. Hiſt. cap. 31. num. 19. vbi quicquid ſiue in ædificiis, ſiue in ſanctorum pignoribus, ſiue in reliquis ad ſacram ſupellectilem ſpectantibus Eccleſiæ Turonenſi contulit, diligentiſſimè recenſet. Quod egregiè confirmatur ex libro 1. de miraculis cap. 83. *Hic autem*, inquit, *Diaconus* (noſter) *à Papa vrbis Romæ Pelagio quorundam Martyrum Confeſſorúmque adſumpta pignora cum grandi pſallentio vel clericorum officio, ac populi immenſi obſequio vſque ad Portum deductus eſt.* & poſt alia: *Erant enim reliquiæ ſanctorum, quorum ſacra veſtigia Domini manibus ſunt abluta, cum Pauli Laurentiique, atque Pancratij, Chryſanthi, Dariæque virginis, Ioannis atque alterius Pauli fratris eius reliquiis.* Hîc ne vnum quidem verbum de aurea cathedra, quam in Gregorij Papæ gazophylacio qui repoſuit, virum eſſe, & à cuſtodia ſupellectilis iſtiuſmodi, & Chriſtianæ paupertatis amantiſſimum ignorauit. Non legerat opinor venerabilem Anglorum Doctorem, qui de Gregorio Papa hæc tradit libro 1. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ gentis ſuæ cap. 2. *Alij quidem pontifices conſtruendis, ornandíſque auro vel argento Eccleſiis operam dabant; hic autem totus erga animarum lucra vacabat. Quicquid pecuniæ habuerat hoc ſedulus diſpergere, ac dare pauperibus curabat.* His autem quæ falſa ſunt, aliud ſuperſtruis à veritate non minùs alienum, ſcilicet, *Gregorium Romanum homiliarum ſuarum opus cum Turonenſi communicaſſe, vel miſſis ad eum exemplaribus, vel Romæ cùm ſimul verſarentur, de rebus diuinis inter ſe familiariter colloquentes: quippe cùm ille tam libenter eaſdem ad Secundinum Taurominitanum Epiſcopum in Siciliam legendas & corrigendas miſerit.* Hæc ſecundum ea, quæ modò notauimus, ſponte ſua diſſiliunt. Illuſtriſſimus Annalium conditor figmenta iſta ſpreuit potiùs, quàm non vidit, qui & aliàs rectè obſeruat totum homiliarum quadraginta Gregorij cor-

pus anno 1592. absolutum fuisse. Hoc est, vt coniicis, quadriennio ante mortem Gregorij Turonensis, sed cùm anno Gregorij Papæ quinto, Gregorius Turonensis obiisse credatur, è quadriennio tuo menses duodecim detrahendi sunt. In hoc autem quod superest, triennio homiliarum codicem Gregorius Papa ad Secundinum Taurominitanum Episcopum misit, vt eas legeret corrigerétque. Secundinus vbi vtrumque præstitit, in vrbem remisit homiliarum librum, qui postea vulgari potuit, sed non antè vulgatus est, quàm à librariis describeretur. Non fuisse autem tam citò descriptum ac vulgatum Isidorus Hispalensis testatur, qui ad annum 620. floruit. Hunc enim *incognitum* sibi *opus* esse scribit. Quare admodum probabile est, non magis cognitum fuisse Gregorio Turonensi, qui ad annum 595. naturæ satisfecit. Cur autem Gregorio citiùs quàm Isidoro cognitum fuisse credas, id iam explosimus. Tu verò, qui contrà sentis, multo subtiliùs argumentaris: Germanum Parisiensem ante annum 579. vel eodem certè ineunte, quo 28. Maij mortuus est, non Fortunatum auctorem amicum, qui viuebat, sed Gregorium Turonensem rogasse, vt quam Maurilij atque Albini vitam Fortunatus ediderat, eam librariorum vitiis aspersam corrigeret: Gregorium verò cùm tunc non haberet Gregorij Papæ homilias, quas laudaret, corrigendæ huic historiæ non vacasse ante annum 592. quo Gregorius Pontifex homilias omnes absoluit. præuiderat quippe Gregorius in illis fore aliquid, quo historiam Renati præmuniret. Harum porro homiliarum opus suum Papam *cum illo Turonensi communicasse, vel missis ad eum exemplaribus,* antequam istud opus ad Secundinum Episcopum corrigendum mitteret, *vel Romæ, cùm simul versarentur de rebus diuinis inter se familiariter colloquentes.* Tunc Gregorium, si Turonis degeret, vel cùm Roma rediisset Turonos, accinxisse se operi, quod suis absolutum numeris postea Germano ante annos plus minus quatuordecim mortuo tanquam viuenti dedicauit. Non auro contrà carum emerim hoc argumentandi genus, quo te recreari ac refici facilè patior: quantis quæso me contemptibus, lœdoriis & conuitiis afficeres, si similis argumentatio è meis dissertationibus erueretur: per omnia me Academiarum theatra triumphanti manu deduceres, in quibus cæsum ac verbe-

ratum concerperes, atque in frusta immaniter dissecares. Sed qui pro conuitiis conuitia reddat, nusquam inuenies: modestè quærendam esse & asserendam veritatem noui.

Illa porro citatio planè habetur in exemplari, quod Renatus Vallinus Nannetensis Canonicus & Regis Capellanus, vir Ecclesiasticarum rerum curiosus, superiori anno mihi commodauerat, sed miror cur non reperiatur in illo exemplari, quod humanissimus vir Claudius Menardus ad humanissimum quoque virum Ægidium Menagium paucis abhinc diebus misit. Cur autem mirer, facit primùm res ipsa suis librata ponderibus, quam Vallino significaueram: deinde quòd Vallinus, cùm exemplar suum descripsit, Menardi manuscriptis vsum se esse mihi tunc dixerit: tum demùm quòd vtriusque Vallini & Menardi exemplaria in ceteris rebus conueniant.

Hoc loco singulari numinis factum est prouidentia, vt tua in me crudelitate perperam vtereris. Querebar, vt apparet, mutilationẽ exemplaris, seu apographi, quod Claudius Menardus ad Ægidium Menagium miserat. Idque alibi his testatus sum verbis: Hactenus Claudij Menardi exemplar, in quo Gregorij Papæ testimoniũ istud desideratur: *sanè beato testante Papa Gregorio fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum*. Hoc, & alia fortè prætermissa restituemus, si quando licuerit domini Vallini exemplar recuperare. sed ecce tu tanquam Deus è machina iustam esse querelam meam ostendis, dum vltro suppeditas tres antiquissimos codices, qui quam Gregorij Papæ sententiam requirebamus in Menardi apographo, conceptis verbis repræsentent. Cur autem de huius apographi seu exemplaris mutilatione quererer, iam opinor sensisti. gratulor tamen, quòd tam illustri facinore arma ministraueris, quibus & Menardi, vel eius Amanuensis fides corrueret, & apologia tua profligaretur.

§. IX.

NONÒ, Renati nomen puero datum *ex euentu* perinde tradit auctor, quasi nusquam fuisset in vsu, quod non cadit in Gregorium, qui lib. 2. Hist. Franc. semel atque iterum laudat historicum nomine Renatum, & primò qui-

dem cap. 8. his verbis: *Igitur his ita digestis, ac per ordinem expletis, quid de Aëtio suprà memorato Renati Frigeridi narret historia, tacere nefas putaui.* Deinde cap. 9. *Renatus Profuturus Frigeridus, cuius suprà meminimus, cùm Romam refert à Gothis captam, atque submersam, ait.* Prætereo Vegetium Flauium Renatum Constantinopolitanum comitem, qui Valentiniani principis tempore rei militaris institutiones edidit. Prætereo etiam Renatum illum, de quo sic Augustinus loquitur epistola 157. ad Optatum Episcopum: *Factum est, vt ea, quæ scripsisti, etiam ipse perlegerem, tradente mihi eandem epistolam famulo Dei sancto Renato in Christo nobis fratre carissimo.* qui & idem ipse est, cui liber primus de origine animæ ab Augustino nuncupatur: Vnde libro 2. Retract. cap. 56. *Contra ista mea,* inquit, *ad eundem Petrum scripsit ille* (Vincentius) *duos libros, quos mihi de Cæsaria Renatus Monachus misit, quibus ego perlectis responsione mea quatuor libros reddidi, vnum ad Renatum monachum, &c.* Prætereo quoque Renatum Ecclesiæ Romanæ presbyterum, quem cum Iuliano Coënsi Episcopo, & Hilario Diacono ad Ephesinum Concilium Leo vice sua direxit. Eius verba sunt hæc in epistola ad Flauianum Constantinopolitanum decima cap. 6. *Ad omnem verò causam piè ac fideliter exequendam fratres nostros Iulianum Episcopum & Renatum presbyterum tituli sancti Clementis, sed & filium meum Hilarium Diaconem vice nostra direximus.* Ad eundem Renatum Theodoretus scripsit epistolam centesimam decimam sextam, qua incredibile illius in defendenda fide studium & fortitudinem plurimùm commendat. Prætereo etiam hunc, vel alium, de quo sermo est in Breuiculo historiæ Eutychianistarum: *Interfuerunt* (Ephesinæ Synodo) *Vicarij ab Apostolica Sede directi, Iulius Puteolanus Episcopus, Hilarus Archidiaconus, quia presbyter Renatus in insula Delo morte præuentus est.* Prætereo tandem Renatum illum, cuius mentionem facit Cassiodorus lib. 4. variarum cap. 37. *Renatus itaque flebili nobis aditione conquestus est, nobis delegantibus cognitores iudicatum se contra Inquilinam nomine, post longa temporis interualla meruisse, &c.* sic Theodoricus rex Theodagundæ illustri feminæ.

Renatus igitur nouum nomen non est, quod infanti iam

bapti-

baptisato dari potuerit *ex euentu*, quasi verò dum baptisaretur, nullum ei nomen inditum fuisset. Vtvt sit, impositum in baptismo nomen desideratur in omnibus, quæ extant de Renato, monimentis. Sic enim debuit haud nomen sed agnomen esse: quamuis neminem eorum, quos Christus, Apostoli, vel Apostolici viri excitauerint à mortuis, Renatum vocauerit antiquitas.

Vt hanc amoueas rationem, duo facis, quæ vim illius confirment: Inprimis dissimulas hæc verba, quæ maximi sunt hac in re ponderis: *quamuis neminem eorum, quos Christus, Apostoli, vel Apostolici viri excitauerint à mortuis, Renatum vocauerit antiquitas.* Cur autem dissimules, in causa primùm est res ipsa, quæ summa veritate nititur: tum ea, quæ commemoras de Catechumeno Maurilij precibus vitæ restituto, qui ex tali euentu Renati nomen haud obtinuit, cùm perinde atque alter de quo disputas, obtinere posset.

Deinde industriæ tuæ neruos omnes contendis, vt efficias, infantem illum, qui postea ex euentu Renatus dictus est, nondum accepto baptismate migrasse: sed immeritò contendis, & contra veritatem historiæ, quam tu Gregorio adscribis. E capite 16. verba sunt hæc, *Sequenti siquidem die beato Maurilio antistite in eadem beati Petri Apostoli basilica sancta solemnia celebrante, aduenit cum moriente puero matrona, cui quondam sterili eundem vt nasceretur, ante Episcopatum apud Dominum suis meritis obtinuerat, postulans vt filio suo, quem Domino habendum obtulerat, manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret, antequam obiret. Sed remorante in sancta corporis & sanguinis Christi consecratione paululum præsule puer excessit.* Atqui hic loquendi modus, *Maurilij, seu Episcopalium manuum impositione Spiritum sanctum dare*, apud Ecclesiasticos tractatores nusquam Baptismum, sed semper Confirmationis sacramentum designauit. Tu tamen, quia varia est apud eosdem tractatores manuum impositio, rem perspicuam iniecto velut sepiæ atramento fuscare niteris, & manuum impositionem, cuius hîc fit mentio, eam esse vis, quæ baptismum antecedat, baptismúmque ipsum significet propter rituũ coniunctionem. *Ex eo verò*, inquis, *quòd ordinarius esset in administratione baptismi ritus, factum est, vt impositio manuum pro*

ſacramēto Baptiſmi interdum vſurparetur, ſic eo nomine vſus eſt Sulpitius Seuerus in vita ſancti Martini cap. 10. Satiſque conſtitit, eo die ſalutem illi veniſſe regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine Gentilium fuit, qui non impoſitione manus deſiderata, Dominum Ieſum, relicto impietatis errore crediderit. Quaſi verò eccleſiarum magiſtri manuum impoſitionem, quæ antecedentibus baptiſmum ceremoniis illigatur, eam eſſe vſpiam dixerint, quæ Spiritum ſanctum daret, aut de eadem Sulpitius Seuerus loqueretur. Seuerus tantùm loquitur de manus impoſitione, qua qui vellent in Chriſtum credere, Catechumeni conſtituerentur. *De his* (inquit Canon ſextus Arelatenſis Concilij primi) *qui in infirmitate credere volunt, placuit debere his manum imponi.* Huc ſpectat Auguſtinus libro 2. de peccat. merit. & remiſſ. cap. 26. vbi ait, *Catechumenos ſecundum quendam modum ſuum per ſignum Chriſti & orationem manus impoſitionis ſanctificari.* Sed neque Seuerus, quem allegas, neque Concilium Arelatenſe, neque Auguſtinus, neque vllus tractator illam manus impoſitionem appellat baptiſmum, neque per illam ſanctum dari Spiritum tradit. Quare quæ hîc de memorata in vita Maurilij manuum impoſitione ſcribis, ſi ſeriò ſcribas, quid de tua in iſtis Eccleſiaſticis & Theologicis quæſtionibus cognitione iudicandum ſit, aliorum arbitrio permittimus.

In hac ſolutione pro more tuo propoſitiones diſtrahis quæ copulandæ ſunt, & manuum impoſitionem ſeparas à S. Spiritus dono, quod Maurilij manuum impoſitioni vt effectus cauſæ coniungitur. Deinde ſecundum iſtam propoſitionum diſtractionem facilè reperis manus impoſitionem, quæ inter priores baptiſmi ceremonias numeretur. Tum demum, quia in baptiſmo datur gratia, quæ nonnumquam dono ſancti Spiritus deſignatur, ex illa manus impoſitione cum baptiſmo coniuncta infers, baptiſmum appellari manuum impoſitionem, qua ſanctus Spiritus datur. Ego autem ſi pari modo diſputarem, omnes & veteris & noui orbis Academias compellares, vt me ita bellè diſputantem audirent, aut vt eſt in prouerbio, Camelum viderent ſaltitantem.

Præterea in hac Maurilij vita eſt & alia locutio, quæ ex vſu Eccleſiæ ſacramentum Confirmationis ſemper denotauit. *Tandem autem expleta cum lacrymis oratione*

vterque consurgunt, Maurilius de oratione, & puer de morte, quem septiformis Spiritus gratia consecratum ex euentu vocauit Renatum. Tu verò hunc certum Confirmationis indicem, *septiformis Spiritus gratia puerum consecrari*, ad baptismum rapis: sed omnino contra vsum Ecclesiæ & auctoritatem illius orationis, quæ ab Episcopo super Confirmandorum capita profertur: *Omnipotens sempiterne Deus, qui regenerare dignatus es hos famulos tuos ex aqua & Spiritu sancto, quique dedisti eis remissionem omnium peccatorum, emitte in eos septiformem Spiritum tuum sanctum paracletum de cælis, Spiritum sapientiæ & intellectus, Spiritum consilij & fortitudinis, &c.*

Postremò hunc Marbodi versum,

Cui conchrismato nomen iubet esse Renato,

perperam in tuum sensum detorques, vbi conchrismatum, simul cum baptismate chrismatum interpretaris, & poëtæ illudis, qui ex conditione rhythmicorum versuum, quos concinnat, manuum impositione cùm vti non potuerit, totum Confirmationis sacramentum à parte significat. Quare conchrismatum cum manuum impositione, non cum baptismo iunctum intelligere oportet. Huc spectat posterior ex his duobus versibus:

Orat pro nato subito languore grauato,
Vt sibi post fontem consignet chrismate frontem.

Orat matrona Maurilium, vt pueri, qui fontem consecutus iam erat, frontem chrismate consignaret. qua locutione Marbodus non Baptismum, sed Confirmationem exponit. Illius, quo Raino & Marbodus vixerunt, temporis disciplina, & loquendi modus id tulit, vt Confirmatio non solùm impositio manuum, sed & donum chrismatis, vt & alibi in eadem Maurilij vita, sacramentum chrismatis vocaretur.

Sed ista mittamus omnia, exemplum illud relege, quod de Catechumeno post baptismum mortuo, & postmodum suscitato refers ex hac Maurilij vita, & quibus verbis auctor explicet baptismum, expende: *Adolescens*, inquit, *quidam Catechumenus de numero Ecclesiæ sibi commissæ, absente Maurilio, tam vehementem febrem incurrerat, vt antequam sacri fontis baptismate regenerari potuisset spiritum exhalaret. Nec mora parentes ipsius, non sine immensis ac*

crebris suspiriis, singultibúsque atque lacrymis, dum locus funeris pararetur, eum ad Ecclesiam detulerunt. cùm subitò beatus Maurilius adesse nuntiatur. Qui comperto, quòd sine baptismatis remedio vltimo fungeretur officio, ingemuit. & post alia: *Quem statim vt de oratione surrexit parentibus, qui pro foribus astiterant, viuum & incolumem reddidit, ac sacro baptismate consecrauit.* Non ait, antequam Maurilius manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret, spiritum exhalauit. Non ait: Maurilius comperto quòd sine manuum suarum impositionis remedio vltimo fungeretur officio, ingemuit. Non ait: comperto, quòd sine chrismatis dono Catechumenus excesserat. Non ait: cui Maurilius manuum suarum impositione Spiritum sanctum dedit, vel quem septiformis Spiritus gratia consecrauit. Istæ sunt velis nolis loquendi formulæ, quibus alterum à baptismo sacramentum auctor graphicè designat.

Verumenimuerò si de baptismo ageretur, quorsum alij, qui aderant in Ecclesia, vel si nulli aderant, quod non est credibile, matrona ipsa pro Ecclesiæ more vt infantis periculo subueniret, infantem non tinxisset, prætermissis baptismi ritibus? Sed quorsum decem insumis paginas, vt erepta lectoribus tuis antiquitatis luce, baptisma manuum impositionem, qua Spiritus sanctus datur, donum chrismatis, & sacramentum chrismatis dici solitum confirmes? Quorsum inquam id facis, nisi profectò cùm non habeas vllos Ecclesiæ canones, vllum probatæ fidei exemplum, quo quæ omnia de Maurilio dicuntur in illius vita, defendantur: *Beatissimus igitur*, inquit auctor vitæ, *Maurilius expleto sanctæ solemnitatis capitello, obitúque pueri, qui absque chrismatis dono excesserat, præcognito, totum id suæ desitudini deputauit, lacrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ. Cui cùm nec ista sufficerent, diu multúmque quid ageret, secum animo colluctante tandem reperit, quòd inter conciues tantæ negligentiæ piaculum plenè expiari nequiret, ni singularis elapsus patriam propriam ciuésque relinqueret. Tali igitur reperto consilio occultè exinde semetipsum eripuit, & sanctarum reliquiarum, quibus sancta Andecauensis mater Ecclesia decorabatur, secum claues exportans. Cùm autem peruenisset ad mare, diuina omnipotentis Dei prouidente clementia, qui manebat in littore,*

diem transitus sui exarauit in lapide, sicque ascensa puppi inchoati itineris cœpit maturator existere: Cúmque processisset in altum, & quare reliquiarum claues secum detulerit, cogitaret, insidiante humani generis inimico, vt dolorem sancto viro super dolorem imponeret, repentè claues de manibus elapsæ submerguntur in æquore. Tunc cum lacrymis id fertur exclamasse Maurilius, quod postea rei probauit euentus: Nisi, inquit, has iterum claues videre meruero, patriam vrbémque nunquam repetam, quam effugio, & reliqua, quæ in posteriori Dissertatione describentur.

§. X.

DECIMÒ, vir prudens & rerum ecclesiasticarum peritus, qualis fuit Gregorius Turonensis, nunquam scripsisset quæ sequuntur cap. 16. vitæ Maurilij. *Sequenti siquidem die beato Maurilio Antistite in eadem beati Petri Apostoli basilica sancta solemnia celebrante, aduenit cum moriente puero matrona, cui quondam sterili eumdem vt nasceretur, ante Episcopatum apud Dominum suis meritis obtinuerat, postulans, vt filio suo, quem Domino habendum obtulerat, manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret antequam obiret. Sed remorante in sancta corporis & sanguinis Christi consecratione paululum præsule, puer excessit.* & post alia: *Beatissimus igitur Maurilius expleto sanctæ solemnitatis capitello, obitúque pueri, qui absque chrismatis dono excesserat, præcognito, totum id suæ desitudini deputauit, lacrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ. Cui cùm nec ista sufficerent, diu multúmque quid ageret, secum animo colluctante tandem reperit, quòd inter conciues tantæ negligentiæ piaculum plenè expiare nequiret, ni singularis elapsus patriam propriam ciuésque relinqueret.* Hæc autem duo inter se contendere, refellere est. In priori loco, si accuratè spectetur, culpa Maurilij nulla vel leuissima deprehendetur. In posteriori verò dicitur tanta negligentiæ culpa, vt nullis in Gallia lacrymis expiari, nullóque id piaculi genus pœnitentiæ remedio purgari posset. Hæc autem de Maurilio nunquam scripsisset Gregorius, & qui scripsit de sanctissimo viro & illustri Andegauensium patrono pessimè meretur.

§. XI.

VNDECIMÒ, hæc verba, quæ cap. 16. vitæ Maurilij habentur, *Transmisso mari, quo quis esset abscondere potuisset, mutato habitu, vni regionis principum adhæsit.* & post alia: *interea istiusmodi circunquaque negotij fama peruolitat, ipsúmque sollicitat Regem*; ad Rainonis vel Archanaldi tempus, non ad Gregorium Turonensem pertinent. quo enim tempore iussu Rainonis Archanaldus vitam Maurilij scripsit, plures erant in Anglia Reges, vel Principes, quorum vni Maurilium adhærere, hortulanúmque agere voluit: atque ita huius status imaginem, quæ ante oculos obuersabatur, ad omnem retro ætatem improuidè traxit. Sed istud inprimis cauisset Gregorius, quippe qui planè nouerat, nullos in Anglia seu Britannia Martini æuo regnasse principes, & eam titulo prouinciæ Romanis Imperatoribus subditam fuisse. Quare qui hæc & alia similia Gregorio Turonensi tribuit, viro de Gallia & Ecclesia benè merito illudit.

§. XII.

DVODECIMÒ, Magnobodum Andegauensem Episcopum volunt Maurilij vitam scripsisse anno Clotarij II. tricesimo tertio, qui à morte Gregorij Turonensis vicesimus tantùm quintus est. Sic autem scribentem inducunt: *In Christi nomine, ego Magnobodus Episcopus ac si peccator Ecclesiæ Andegauæ secundum titulos Iusti presbyteri, vitam sancti Maurilij Episcopi & Confessoris, vt rusticitas mea compos fuit, simpliciter planéque, quantum potui, explicaui, in anno decimo ordinationis meæ, & in anno trigesimo tertio principis domini nostri Clotarij Regis, filij Chilperici Regis, cum fidelitate paterna & amore fraterno.* & post alia: *Erat mulier in ipsis finibus sterilis diu permanens, quæ multum priùs præ pudore matronali cunctata, necessitate tandem compulsa, à sancto Maurilio petiit, vt oraret Dominum pro ipsa, quatenus ei filium daret, qui & ad ipsam Ecclesiam deuotus Domino deseruiret. Exaudiuit Dominus preces serui sui Maurilij, mulier concepit, & peperit filium, qui secun-*

dum vota parentum diuinis traditus officiis eidem Ecclesiæ Calonnensi longo tempore deseruiuit, verè consequens est sententia, sicut ab Anna per gratiam Domini genitus est Samuel, qui Sacerdos Dei & Propheta seruiuit in templo, ita & puer ipse. Idem enim etiam post beatum Maurilium Pontifex factus præsedit Ecclesiæ Andegauensi. Hæc ille, qui cùm scriptæ à Gregorio Maurilij vitæ non meminerit, si res ex seipsa pensetur, euidens indicium est, Gregorium huic operi nusquam vacasse. Quotus enim quisque est, qui dum alterius vitam literis iterum commendat, non laudet eum, qui primus eandem ante se scripsit, præsertim cùm diuerso, nec admodum disiuncto tempore & loco vterque scripsit. Si dicas id tacuisse Magnobodum, quia Gregorij gloriæ inuidit, in sanctissimum virum impinges: si verò quia cùm Maurilij vita recens foret à Gregorio memoriæ prodita, non fuit adhuc idonea, quæ laudaretur, Gregorium inprimis offendes, qui recens scriptas à Fortunato sanctorum vitas sæpius laudauit: deinde Gregorij opera ex seipsis, non ex annorum vicibus fidem acquirunt apud posteros. Si quia cur meminisset causa nulla occurrit, suspectam & inutilem efficies Magnobodi diligentiam. Cur enim post Gregorium Maurilij vitam tam citò instauraret, rationem reddere debuit. Si demum quia scriptam à Gregorio Maurilij vitam nesciit, illud nunquam persuadebis. Gregorium enim videre per ætatem potuit Magnobodus, qui vt apparet, Maurilij vitam literis prodidit anno post obitum Gregorij vicesimo quinto. Huc accedit, quòd ambo in eadem metropoli vixerint. Contumax autem illud silentium apertè loquitur, Maurilij vitam nullis à Gregorio consignatam esse monimentis.

§. XIII.

POSTREMÒ huius vitæ stylus à Gregorij stylo penitus abhorret, siue quæ ad loquendi modum, siue quæ ad obseruatam olim apud Gallos in constituendis Episcopis disciplinam, siue quæ ad alia spectant, considerentur. Itaque huius vitæ auctor, & Gregorius ita dissident inter se, vt qui eam repugnantiam non videat, nihil omnino videat necesse sit. Prologus, quem huius prioris Dissertationis initio retuli, & capita duo, quæ posteriori Dissertatione referam,

ſufficiunt, vt quis, ſi Gregorium aliquando legerit, eam repugnantiam aſſequatur.

Reſpondes hîc me nihil probare; ſed cùm probauerim aliquid, te reſponſurum. Conditionem accipio. E multis ergo quibus hæc mea ratio probari poteſt, hoc vnum adfero, quod mea quidem ſententia tibi ſufficiet. *Tandem*, inquit ſcriptor vitæ Maurilij, *completa cum lacrymis oratione, vterque conſurgunt, Maurilius de oratione, & puer de morte, quem ſeptiformis Spiritus gratia conſecratum ex euentu vocauit Renatum. Qui diuinis cultibus illico mancipatus, & à beato Maurilio diligentiùs eruditus, tantis promeruit florere virtutibus, vt poſt Maurilium Pontificalem Andecauenſis Eccleſiæ Cathedram & poſthumus ſortiretur & hæres. Quod ſi quis fortuitu æſtimauerit fabuloſum, Andecauenſem recurrat ad vrbem.* Hoc poſtremum comma ſiue de puero, quem ſuſcitatum ſeptiformis Spiritus gratia conſecrauit Maurilius, ſiue de Renati Epiſcopatu intelligas, à Gregoriana ſcribendi ratione penitus abhorret. Gregorius enim libro 1. Hiſt. Francorum cap. 36. de Hilario Pictauienſi ſcribit; *ipſe legitur mortuos ſuſcitaſſe*: ſed poſtea non addit, *quod ſi quis fortuitu æſtimauerit fabuloſum, Pictauienſem recurrat ad vrbem.* libro 2. cap. 31. de Remigio Remenſi ſcribit: *eſt liber vitæ eius, qui eum narrat mortuum ſuſcitaſſe*; ſed poſtea non addit: *Quod ſi quis fortuitu æſtimauerit fabuloſum, Remenſem recurrat ad vrbem.* Idem libro de gloria Confeſſorum cap. 91. de Genoueſa ſcribit: *Eſt ibi* (Lutetiæ) *ſancta Genoueſa in baſilica ſanctorum ſepulta Apoſtolorum, quæ in corpore poſita tantum in virtute præualuit, vt mortuum ſuſcitaret.* ſed poſtea non addit, *Quod ſi quis fortuitu æſtimauerit fabuloſum, Pariſienſem recurrat ad vrbem.* Idem libro 1. hiſt. cap. 27. de Lugdunenſibus martyribus ſcribit, & maximè de Photino Epiſcopo: *Ex quibus & ille primus Lugdunenſis Eccleſiæ Photinus Epiſcopus fuit.* ſed poſtea non addit: *Quod ſi quis fortuitu æſtimauerit fabuloſum, Lugdunēſem recurrat ad vrbem.* Eodem libro cap. 28. de ſeptem Epiſcoporum in Gallias aduentu ſcribit: *Sub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana ciuitas ſanctum Saturninum habere cœperat ſacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt Turonicis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus*

mus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tolosæ Saturninus Episcopus, Parisiacis Dionysius Episcopus, Aruernis Stremonius Episcopus, Lemouicinis Martialis destinatus est Episcopus. Sed postea non addit: *Quod si quis fortuitu æstimauerit fabulosum, Turonensem, Arelatensem, Narbonensem, Tolosanam, Aruernensem, Parisiensem, Lemouicensem recurrat ad vrbem.* De aliis illustribus miraculis instar omnium obseruo vnum, cuius ita meminit libro primo de miraculis capite trigesimo. *In Epheso habetur locus, in quo hic Apostolus Euangelium quod ex eius nomine in Ecclesia legitur, scripsit. Sunt autem in summitate montis ipsius proximi quatuor sine tecto parietes. In his enim orationi insistens, Dominum assiduè pro delictis populi deprecans morabatur, obtinuitque, ne in loco illo imber vllus descenderet, donec ille euangelium adimpleret. Sed & vsque hodie ita præstatur à Domino, vt nulla ibi descendat pluuia, neque imber violentus adueniat. In ea vrbe Maria Magdalene quiescit, nullum super se tegmen habens.* Sed postea non addit: *Quod si quis fortuitu æstimauerit fabulosum, Ephesinam recurrat ad vrbem.* In summa dum alicuius Episcopi sedem, vel sanctorum miracula & virtutes commemorat, simili præmunitione vsum nusquam reperies, siue in historia Francorum, siue in libris de gloria Confessorum & Martyrum, siue in libro de vitis Patrum, siue in libris quatuor de miraculis sancti Martini. Hæc loquendi formula nimia cautio est, quæ quod apud simplices & incautos adstruit, apud prudentes & cordatos destruere consueuit.

DISSERTATIO

RENATI ANDEGAVENSIS EPISCOPI historiam attingens.

QVAE de Renato Andegauensium Episcopo circumferri solent, hîc ex suis auctoribus in vnum corpus redigere constitui. Deinde obseruationes aliquas subiiciam, tum quid ad certiorem Renati historiam desideretur, Christiana indicabo libertate, quam Thessalonicensibus suadet Apostolus: *Omnia probate, quod bonum est tenete.*

§. I.

PRIMVS igitur, ni fallor, auctor, qui Renati Andegau. meminit, is est, qui sancti Maurilij vitam Gregorio Turonensi affinxit. Hæc autem de Renato tradit cap. 6. *Andecauensis territorij matrona quædam pernobilis, nexa iam vinculo coniugali, ex tempore suæ copulationis sterilis permanebat, quæ dum pro adipiscenda prole Dominum precaretur assiduè, & nequaquam votum suum obtinere valeret, ac procederet natura in annos desperationis adepturæ iam prolis, ad beatum virum se tota mente conuertit, sedulò flagitans, vt quod illa non merebatur, ipse apud Dominum suis meritis & intercessionibus obtineret, & si suis precibus seni fœminæ filium impetrare potuisset, ipsum se Domino oblaturam, & perpetuò seruiturum tota fide ac voto pollicebatur. Intuens autem vir beatus mulieris mentem & fidem, ac fletuum vbertatem, nihilque apud Dominum impossibile esse confidens, qui partum vetulæ Saræ, & ad petitionem Heli Sacerdotis filium, Samuelem scilicet Prophetam, sub sponsi voto sterili concessit Annæ, Dominum pro fœmina precaturus accessit, exauditque Dominus virum, & deprecanti fœminæ conceptum dedit & partum, quem illa sicut promiserat Domino con-*

secrauit habendum. Quale verò quantúmque miraculum super eumdem puerum Dominus per beatum Maurilium, postquam sancta Andecauensis Ecclesia Episcopalis honorem accepit, operatus est, ad corroborandam fidem fidelium, licèt illud beatus Fortunatus propter minùs credente omiserit, imò quia verum est, & res est digna memoria, non tacebimus. Quod tamen, quia post acceptum Episcopatum idipsum pro eo Dominus fecit, suo in loco meliùs exponemus. Deinde cap. 16. *Sequenti siquidem die beato Maurilio antistite in eadem beati Petri Apostoli basilica sancta solemnia celebrante, aduenit cum moriente puero matrona, cui quondam sterili eumdem vt nasceretur, ante Episcopatum apud Dominum suis meritis obtinuerat, postulans vt filio suo, quem Domino habendum obtulerat, manuum suarum impositione Spiritum sanctum daret, antequam obiret. Sed remorante in sancta corporis & sanguinis Christi consecratione paululum præsule, puer excessit. Quantum verò miraculum super eumdem puerum post septimum depositionis ipsius annum per potentissimum antistitem beatum Maurilium Dominus operari dignatus est, quanquam, vti iam diximus, illud Fortunatus omiserit, nos tamen minimè reticebimus, quod verum esse scimus, quia ad gloriam Christi, laudémque Antistitis sui res est digna describi. Nam nouimus dicente Propheta, quia omnia quæcunque voluit Dominus fecit in cælo & in terra, in mari & in omnibus abyssis; & iterum quia in sanctis suis idem & ipse mirabilis. Si enim credimus, quod fide obtenta ad iussionem vnius hominis, sol, luna, cæteráque sydera spatio vnius diei immobilia substitêre, & quod ad percussionem virga Moysi mare rubrum in geminas est partes diuisum, siccáque Horeb petra perlargas euomuit vndas, quódque contra naturam intelligibiles asina edidit pace facta loquelas, ad petitionémque Heliæ tribus annis & medio, ne plueret, serratum est cœlum, iterúmque cùm voluit, suis precibus est adapertum; quódque est mirabilius, quod ad redemptionem humani generis mirabili & indicibili Spiritus sancti opere Verbum patris verus processit Deus, & homo de virgine, idémque per crucis mysterium mortis destruxit imperium; quódque etiam per ipsum in fine sæculi Deus pater mortuorum hominum omnium ex initio in cineres redacta sub momento resuscitabit corpora, aut ad gloriam, aut ad pœnam*

sine fine victura; quòd per beatum Maurilium gloriosum antistitem suum post septimum depositionis annum mortuum resuscitauerit puerum, satis credere possumus. Miraculum ergo qui non istud firmè crediderit, quòd in Sanctis & per Sanctos suos alia multa, quæ vt præmisimus, Dominus operari dignatus sit, semper & operetur, nequaquam credere valebit. Et sanè beato Papa testante Gregorio, fides non habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Beatissimus igitur Maurilius expleto sanctæ solemnitatis capitello, obitúque pueri, qui absque chrismatis dono excesserat, præcognito, totum id suæ desitudini deputauit, lacrymis multo tempore irremediabilibus suæ culpam lugens inobedientiæ. Cui cùm nec ista sufficerent, diu multúmque quid ageret, secum animo colluctante tandem reperit, quòd inter conciues tantæ negligentiæ piaculum plenè expiare nequiret, ni singularis elapsus patriam propriam ciuésque relinqueret. Tali igitur reperto consilio, occultè exinde semetipsum eripuit, & sanctarum reliquiarum, quibus sancta Andecauensis mater Ecclesia decorabatur, secum claues exportans. Cùm autem peruenisset ad mare, diuina omnipotentis Dei prouidente clementia, qui manebat in littore, diem transitus sui exarauit in lapide, sicque ascensa puppi inchoati itineris cœpit maturator existere. Cúmque processisset in altum, & quare reliquiarum claues secum detulerit, cogitaret, insidiante humani generis inimico, vt dolorem sancto viro super dolorem imponeret, repentè claues de manibus elapsæ submerguntur in æquore. Tunc cum lacrymis id fertur exclamasse Maurilius, quod postea rei probauit euentus. Nisi, inquit, has iterum claues videre meruero, patriam, vrbémque nunquam repetam, quam effugio. Transmisso igitur mari, quo quis esset abscondere potuisset, mutato habitu, vni regionis principum adhæsit, professus se hortulanum fore, quatinus corpus, quod ieiuniis, vigiliis, & orationibus castigare decreuerat, ne ex toto deficere potuisset, proprio labore pauisset. Qui cùm tali proficeret ministerio, tantam copiam eius meritis Dominus oleribus dabat, vt & omnibus quibuscumque necesse fuerat, ex eisdem sufficienter tribueret, & tamen olera numquam deficerent. Vnde per pluribus placebat, & pæne ab omnibus amabatur. Interea plebs Andecauorum cælitus sibi quondam dato viduata pastore, non minimo pauore

percellitur, crebrisque visionibus minatur, persæpè etiam admonetur, vti proprium pastorem circumquaque perquirerent, nisique Maurilius inuentus sua redderetur Ecclesia, vrbem Andecauam fore celeriùs subuertendam. Vnde eiusdem tota nobilitas, sed & vulgaris immensitas, collatione facta in vnum venêre decretum, eligentes è conciuibus quatuor diffusa virtutis ac fidei viros. Quibus qui necessarij ad tanti itineris erant supplenda negotia, sumptibus ex voto collatis præcipiunt, ne vnquam reuerterent, nî priùs proprium inuenissent patronum. Qui functi legatione & deuotiùs iussa sequentes, vrbes omnes, oppidáque vel vicos præterlegunt. Omníque ferè Europa circumita, septimo tandem in partes Galliæ reuertentes anno, & minimè quem quærebant, inuento, diuino ductu ad portum Oceani maris, qui in Britannia manet minori, cursu auido peruenerunt. Quatinus cis mare quem inuenire non poterant, trans mare quærere niterentur. Præstolantes igitur nauem cum qua cœptum explere valerent obsequium, dum residerent in littore, scriptum quod suprà diximus, inuenerunt in silice. Hic transiit Maurilius Andecauorum Episcopus. De tam euidenti igitur alacres effecti indicio trans pontum abiere securi. Haud longè autem adhuc acta puppis à littore, cùm lenis flatibus, & pendula velo ac mari tranquillo medios iam salis fluctus sulcare secura cœpisset, repente immanis emersus è gurgite piscis prosiluit in nauim. De quo cùm Deo gratias retulissent, ipsúmque piscem exenterare cœpissent, reliquiarum claues, quas Maurilius in mari perdiderat, in piscis iecore repererunt. Quas recognoscentes, nimiúmque mirantes turbabantur attoniti metuentes, ne cum ipsis Maurilius naufragium passus, hominem exuisset. Demissis igitur de naui anchoris in hoc stantes, vt de mari reuerterentur, asserentibus nautis Maurilium esse defunctum, singuli sequenti nocte vnum eumdémque visum Domino tribuente viderunt: Nolite metuere, nec reuertamini de itinere, cœptum maturate negotium, procul dubiò diu quæsitum, & huc vsque dilatum vestrum inuenietis desiderium. Mane autem reddito, quid singuli viderant, in inuicem referebant, vnde admodum roborati, quod cœperant, auidiùs peragebant. Vnde factum est, vt Angelico ductu ad domum Principis, cum quo Maurilius habitabat, recto itinere ducerentur. Ingressi autem, illico vocari Maurilium, vt cum ole-

ribus, quibus rex vti consueuerat, accurreret, audierunt. Oculorum ergo aciem in partem, qua illum inclamare audierant dirigentes, nec mora cum oleribus accurrere Maurilium perspexerunt. Quem cùm recognouissent, prostrati pedibus ipsius cum magno fletu rogabant, vt propria subueniret Ecclesiæ atque ciuitati, quæ eius absentia nil iam aliud, nisi supremum præstolaretur exitium. Ad quorum fletum cùm se negare non posset, obstupefactus cum lacrymis repugnare cœpit obnixiùs dicens: Voto me ac iuramento obstrinxi, nunquam me patriam reuersurum, ni claues videre mererer iterum quas amisi. Quas statim exhibentes, quidquid in mari viderant, & pertulerant, ex ordine referebant. Interea istiusmodi circumquaque negotij fama peruolitat, ipsúmque sollicitat Regem. Mirantur cuncti, & quem vt hortulanum habuerant, nunc vt sanctissimum Præsulem venerantes adorant, multis cum muneribus & donariis honorare quantociùs concertantes. Vt qui quasi pauper & peregrinus ad eos venerat, felix & diues reuerteretur ad propria. Cũ Maurilius tot precibus, vt regrederetur, & miraculis victus dum sollicitior de reuersione cunctaretur, & vigiliis atque orationibus insomnem ducere sequentem disponeret noctem, tandem fatigatus ieiunio paululum obdormiens, vidit Angelum dicentem sibi: Surge Maurili, & populorum te requirentium præpes exequere votum. Ecce enim tuis precibus atque meritis tibi commissas seruauit Dominus oues pro quibus rogasti, & insuper reddidit tibi puerum, quem diutius plorans quæsiisti. Quid multis? Mane reddito, conuenientibus vndique populis cum magno honore deducitur ad nauem, & traducto ponto cum nec minori gloria à propria excipitur patria, talitérque propriam regressus ad vrbem, nimirum spectantibus turbis, de Domini promissione securus venit ad pueri tumulum, quo rastris discooperto, inuocat diutissimè planctibus Christum. Tandem autem expleta cum lacrymis oratione vterque consurgunt; Maurilius de oratione, & puer de morte: quem septiformis Spiritus gratia consecratum ex euentu vocauit Renatum. Qui diuinis cultibus illico mancipatus, & à beato Maurilio diligentiùs eruditus, tantis promeruit florere virtutibus, vt post Maurilium Pontificalem Andecauensis Ecclesiæ cathedram, & posthumus sortiretur & hæres. Quod si quis fortuitu æstimauerit fabulosum, Andecauensem re-

currat ad vrbem; ibi enim inueniet pretiosissimum confessorem Christi Maurilium immensis virtutibus florentem, & & nec minùs Renatum Antistitem successorem ipsius miraculis coruscantem, præstante Domino nostro Iesu Christo, qui cum Patre & Spiritu sancto viuit & regnat omnipotens Deus per infinita sæcula sæculorum. Hactenus Claudij Menardi exemplar, in quo Gregorij Papæ testimonium istud desideratur: *Sanè beato testante Papa Gregorio fides non habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Hoc & alia fortè prætermissa restituemus, si quando licuerit domini Vallini exemplar recuperare. In hac secunda editione restituimus opera codicum Andegauensium & Parisiensium manuscriptorum.

Ex hac autem beati Maurilij vita, quæ Rainonis Andegauensium Episcopi diligentiæ ac studio debetur, postea sumptum est id, quod Marbodus Redonensis, Vlgerius Andegauensis, Petrus Cluniacensis, Petrus Cantor, Vincentius Bellouacensis, Antoninus, Petrus de Natalibus, & alij de Renato Andegauensi Episcopo tradiderunt.

§. II.

SED Marbodum audiamus lib. 2. de vita sancti Maurilij Andegauensis Episcopi.

Rem sacramenti dum tractat luce sequenti,
Astans altari mos est vbi sacrificari.
Ecce metu mortis lacrymis stans mater obortis
Orat pro nato subito languore grauato,
Vt sibi post fontem consignet chrismate frontem,
Hoc soboli pressa ne gratia possit abesse.
Ille studens ara dum vult sacra continuare;
Sicque moras nectit, puerum mors improba plectit.
Sacris expletis succedunt tristia lætis.
Nam casum pueri qui posset non ita flexi,
Plus gemit ac mœret, quàm quæ sua pignora fleret.
Nec culpam talem sibi credere vult venialem,
Cùm studio missa queat excusata fuisse.
Anxius hac inter decernit abire latenter,
Exul vt hoc facinus magis expiet ac peregrinus.
Solus ad Oceanum properat, littúsque Britannum,

Claues sanctarum deportans relliquiarum.
Opperiens igitur ventos, quibus Anglus aditur,
Saxo mansuris insculpsit pauca figuris,
Quis foret, & quorsum properaret tendere cursum.
Prouidus hunc lapidi titulum voluit Deus indi,
Quo pòst clareret profugus, qua gente lateret.
Iámque ratem scandit, iam ventus carbasa pandit,
Iam maris alta secat, iam terras cursus adæquat.
Cùm fraus antiqui, nunquam cessantis iniqui
Addit onus lacrymis per damna sequentia primis.
Nam cur detulerit claues, dum transfuga quærit.
At secum reputat, dum plurima corde volutat,
Casus flendo graues, labuntur in æquora claues.
Tum verò tristis verbis se deuouet istis,
Non flectam cursum, visam mea nec loca rursum
Donec aquis mersæ claues sint inde reuersæ:
Portas Andegauis clausit mihi perdita clauis.
Cùm clauis rediet, tunc nostra reuersio fiet.
Iam maris emenso cursu, portúque prehenso
Qualiter abdatur præsul profugus meditatur
Cultu mutato, sed & ordine dissimulato.
Vni magnatum se collocat ad famulatum
Obsequio vili mensæ placiturus herili.
Fit custos olerum, fugiens fastigia rerum,
Gaudens curat olus, quo possit degere solus:
Stans procul à turbis ac cognitionibus vrbis
Vir sanctæ sortis merito versatur in hortis,
Hæreat vt menti, quod sit locus hic monumenti,
De quo surrexit, qui se super æthera vexit.
Dum latet ergo foris longinquis exul in oris,
Planctibus immensis populus gemit Andegauensis:
Ceu data præda lupis, vel ceu sine remige puppis.
Sed desolatis impendit opem pietatis
Summis pastorum rabiem cohibendo luporum.
Interea multis ostensa sopore sepultis
Excidium pago nocturna minatur imago,
Ni redeat Sanctus referens solatia planctus,
Quem iubet inquiri donec valeat reperiri:
Paret mandatis conuentus nobilitatis,
Quatuor electi censentur ab vrbe profecti,

Quærant Patronum, loca circumeant regionum,
Nec finem cœpto ponant, nisi patre recepto,
Assensu plebis sumptus numerantur ephebis.
Terras peruolitant, nec dura, nec aspera vitant.
Vrbes scrutantur, per agros villásque vagantur,
Nec tamen apparet quæsitus vbi latitaret.
Europa tota propè quæsierant sua vota,
Iámque viæ senos cassus labor egerat annos.
Septimus Oceanum iubet annus adire Britannum,
Quo mare transirent, si fortè virum reperirent.
Sed quid necto moram, veniunt ad littoris oram,
Inueniunt scriptum, quod diximus antè relictum.
Gaudent spe certa, quasi iam non sit dragma reperta,
Puppem conscendunt, & ad Anglos per mare tendunt,
Cùm subitò saltum dat ab æquore piscis in altum,
Et cadit in nauim portans in viscere clauim,
Omni gauisi piscis de ventre recisi
Claues eliciunt, quo tristes denuo fiunt,
Dum periisse putant, pro quo totiens loca mutant.
Nam claues norant, ob hoc quasi pro nece plorant,
Visio sed mentes confirmat vana timentes,
Hortans neu dubitent, neu cœpta sequi sua vitent,
Ad perquirendum dubio procul inueniendum.
Hinc alacres facti citò trans mare flatibus acti
Perueniunt rectà, magnatis ad inclyta tecta,
Maurilius gratum cui præbebat famulatum,
Post epulas olerum dans xenia quæque dierum.
Hunc vbi legati venientem sunt speculati,
Prosiliunt stratis oculis, manibúsque leuatis,
Amplexíque pedes complent his questibus ædes.
Optime pastorum tandem miserere tuorum,
Cur pœnas luimus, cur gens neglecta perimus,
Ob quoduis crimen proprium non visere limen.
Vrbs tua mœsta gemit, quia te sibi casus ademit.
Cùm sis mansuetus, tantos ne despice fletus.
Iam, sacer antistes, capiant solatia tristes,
Redde tuis risum, te discedente recisum.
Ad tua Sancte redi, vacuæ te reddito sedi.
Angelico ductu famulante manu quoque fluctu.
Imperium Christi terra nos appulit isti.

Neu dubitare velis, verbi cape signa fidelis,
Claues amissas, huc respice reddimus ipsas.
Hac vbi dixerunt, clauésque palam posuerunt,
Et recitauerunt, qua dicta vel acta fuerunt:
Tot signis victus consentit vir benedictus.
Flent qui prasentes aderant, inopina tuentes,
Pauperiémque viri mirantur ad ista requiri.
Fama ciet gentes loca circumfusa tenentes,
Laudes inuenti recitans sermone frequenti:
Quòd magnus prasul latuisset paruus & exul.
Currit cum donis plebs totius regionis:
Rex etiam terra festinat munera ferre:
Hactenus ignotum cunctis est visere votum.
Sic donis diues comitatur ad aquora ciues,
Transmissóque mari procul occursu populari
Dignè suscipitur, postliminióque potitur.
Quantus concursus, qua succlamatio rursus,
Quas dederint grates, nullus valet edere vates.
Sed non antè pedem pius ad propriam tulit adem
Quàm tumulum peteret, pueri qui membra teneret;
De Domino fisus sibi, qui per somnia visus
Dixerat, Indultum tibi sit reuocare sepultum,
Pro quo sic iustas septem post mortis aristas,
Aggere disiecto rastris, tumulóque retecto,
Orat prostratus multum precando moratus:
Tandem surrexit puer, & tumulo simul exit,
Post mausoleum referens de morte trophaum,
Cui conchrismato nomen iubet esse Renato.

Hæc Marbodus, qui de Episcopatu Renati mentionem nullam facit, quíque anno Christi 1123. excessit.

§. III.

VLGERIVS Marbodi suppar de Maurilio in eius vita sic canit, si fides habenda sit aduersario.

Tunc cum multorum turbis vadit populorum
Ad tumulum pueri, terrámque iubet remoueri.
Cúmque sepultura pareret nuda figura,
Terra prostratus plorauit vir memoratus.
Nec priùs illarum tenuit cursus lacrymarum,

Quàm puer externi tenebras exiret Auerni.
Sed turbis coram modicam releuantur in horam
De prece Prælatus, de morte puer reuocatus.
Nec mora, fœcundam sacrat Maurilius vndam,
Et quasi bis natum vocat hunc de fonte Renatum,
Qui Domino placida dicatus munere vita,
Postea præfatum possedit pontificatum.

Hæc ille, qui anno 1125. factus est Andegauensis Episcopus. Plura non refero, quia plura non retulit aduersarius in apologia sua. Cetera omnia, quæ Marbodus de Maurilij crimine, de eius in agenda pœnitentia consilio, de occulto ex vrbe discessu, de asportatis secum lipsanorum clauibus, de incognita clero & populo Andegauensi in Angliam transfretatione, de loco, vbi hæc transfretatio literis incisa est, de lapsis in mare clauibus, de satana, quo impellente maximè in oceanum lapsæ sunt, de sacramento, quo Maurilius obstrinxit se nunquam in propriam ciuitatem reuersurum, nisi claues tandem aliquando recuperaret, de clauibus à pisce deuoratis, iisque in eius iecore per septennium reconditis, de habito ab Andegauensibus super absentia Maurilij consilio, de quæsito per vniuersam Europam à quatuor Andegauensis populi legatis Maurilio, de legatis in vrbem re infecta post septennium redeuntibus, de inito quærendi trans mare Maurilij consilio, de huius maris transgressu, de subsiliente in nauem pisce, de eodem exenterato, & repertis in eius iecore clauibus, de inuento in Anglia Maurilio, de exercita ab eodem per septennium hortulani professione, de percepta super inuento pastore lætitia, & mutuis inter se colloquiis cecinit, quin Vlgerius, si modò vitam scripsit, cecinerit, non dubito. sed iste homo hæc furtim præterit omnia, quæ tamen pari fide ac pueri suscitatio, eiúsque in Andegauensem Episcopatum adlectio à suis auctoribus narrantur.

§. IX.

PETRVS Cluniacensis miraculum tantùm attingit in epistola quam aduersus Petrobrussianos scripsit. *Maurilius* inquit, *Andegauensis Episcopus longo pòst Apostolorum tempore puerum, quem propter hoc etiam postea Renatum vocauit, septem annos integros iam in monumento habentem, ex-*

cellentissimo miraculo suscitauit. Vt reliqua narraret, scribendi non tulit occasio.

§. V.

PETRVS Cantor Parisiensis in Verbo abbreuiato cap. 74. *Sanctus Maurilius Andegauensis Episcopus vocatus ad baptisandum puerum, (qui obiit antequam ad eum fortè accedere potuisset) se ab officio suspendit & fugit in Angliam, clauibus Ecclesiæ proiectis in mare, Deo vouens se ampliùs officium Sacerdotis non fore executurum, antequam per signa viderit, quòd ei remissum fuerit peccatum, quo se ligatum putabat ex facili occasione. Cui facto hortulano in Anglia claues inuentæ in ventre piscis empti oblatæ sunt, qui tamen non statim, sed peracta pœnitentia rediit, reuersúsque puerum resuscitauit & baptizauit.* Hæc ille tantùm.

§. VI.

ADVERSARIVS noster in apologia de prima Renati translatione sic scribit: *Pergunt libri nostri narrare clerum & populum Andegauensem legatos de repetendo corpore pastoris sui Surrentum misisse, (quo tempore id acciderit, compertum non est) & recusantibus Surrentinis summi Pontificis auctoritatem implorasse, vt id iuberet reddi, quo iubente legatis concessum, vt id asportarent, ac ne qua vis in itinere fieret, præsidium militare iis adiunctum. Ita reuectum in patriam corpus S. Renati ab Andegauensibus solemni supplicationis pompa exceptum in Ecclesiam S. Maurilij illatum fuisse, & in capsa conditum idoneo loco ad fidelium venerationem pridiè Idus Aprilis, (quo die translationis eius memoria anniuersaria solemnitate apud nos celebratur) præsentibus Episcopis Corisopitensi ac Venetensi, Abbatibus, & nobilibus viris permultis, cum magna populi frequentia. Hæc compendiosè collegimus ex dictis libris Ecclesiasticis, vt vitaremus tædium prolixitatis, quia illi & multi sunt, & stilo vario ac verbosiore.*

Ex his pleraque referuntur in sancti Renati Andegauensis Episcopi vita, quam Franciscus Belleforestus ex manuscriptis confecit, & editis ab Renato Benedicto Sanctorum

vitis inseruit. Sed præstat alia nonnulla, quæ in iisdem erant manuscriptis, huc adferre, sunt autem eiusmodi: *Sanctus Renatus cùm transiisset montes, Surrentum proficiscitur, vbi diebus aliquot consistit, & in finitimis huic oppido locis miracula patrauit. sed cùm hinc abire vellet, Surrentini non permiserunt caussati, quòd vt Andegauenses Maurilium Italum retinuerant, Itali Renatum Gallum retinerent. Itaque haud profectus Romam, & Surrento Archiepiscopali vrbi beneficia & virtutes impertiens accersit eos, qui secum perrexerant: eisque diem obitus sui prædixit. Renatus cùm hominem exuit, Surrentini corpus illius vnguentis & aromatibus condierunt, in ædicula humo mandarunt, illustre constituerunt sepulchrum, in quo sacrum virgini Mariæ & beato Renato templum ædificarunt. Sed paucis post Renati mortem diebus quando Hunni per Italiam grassantes Surrentum obsederunt, aliquis barbarus, seu infidelis ad Ecclesiam sancti Renati extra muros ædificatam venit, & pio quodam motu pulsus huic Ecclesiæ & sancti tumulo magna munera obtulit, maiora oblaturum se pollicitus, si tum demum vrbs Renati precibus expugnaretur, (hic enim infidelis de illustribus sancti præsulis miraculis aliquid audiuerat) ad tumulum appendit munera, & cum sua cohorte in tentoria processit, sed postridie cùm reuersus esset, proiecta extra Ecclesiam dona velut indigna reperit. Quod in causa fuit, cur pagani castra soluerint.*

Hæc Belleforestus Gallicè, quæ Latinè reddidi, cùm ea manuscripta, quibus vsus est, non haberem. Habet nî fallor auctor apologiæ, sed iis nos beare noluit.

In archiuis Andegauensis Ecclesiæ reperitur monimentum, quo multoties translatum fuisse Renati corpus asseritur. Illud sic se habet in aduersarij nostri apologia: *Hic requiescit corpus sancti Renati Andegauorum Episcopi & Confessoris, cuius sacra pignora translata sunt secundo Idus Nouembris, id est in die suæ depositionis à Rainaldo: postea reuelata ab Andegauensium præsule Huberto anno millesimo duodecimo Dominicæ Incarnationis: ad vltimum à Gaufrido Episcopo propter quorundam dubitationem resignata & reuisa, & cum sigillo ac superposito titulo indubitanter reperta anno millesimo octogesimo secundo. Plurimis postea euolutis annis hoc ipsum prædicti sancti corpus reuelatum est ab*

Angebaudo Turonensi Archiepiscopo, regente Andegauensem Ecclesiam, & præsente Normanno Episcopo, nec non & aliis comprouincialibus Episcopis præsentibus, Ioanne sancti Maclouij Episcopo, Alano Redonensi Episcopo, Bernardo Nannetensi Episcopo, Radulpho Corisopitensi Episcopo, Guillelmo Trecorensi Episcopo, Roaldo Venetensi Episcopo. Facta est autem hæc reuelatio in die Annuntiationis beatæ Mariæ, id est, Calendis Aprilis, anno ab Incarnatione Domini millesimo centesimo quinquagesimo primo tunc inchoante Dominica, qua dicunt, Isti sunt dies: Tandem elapsa cursu temporis memoria hominum, & solita dubitatione suborta, reuisum fuit denuò corpus pretiosissimum beati Renati anno ab Incarnatione Domini 1255. in octabis Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, & repositum in capsa ob reuerentiam ipsius de nouo tecta argento deaurato, præsentibus Michaële Andegauensi Episcopo, Galeranno Nannetensi Episcopo, & religiosis viris, Guillelmo sancti Albini Andegauensis, Nicolao sancti Sergij Abbatibus Andegauensibus, Guillelmo le Bacle Cantore Andegauensi, Matthæo Thesaurario Andegauensi, Reginaldo Archidiacono Andegauensi, Michaële Archidiacono Transligerensi, Garino Archidiacono Transmeduanensi, Guillelmo Bergere magistro scholarum Andegauensi, & quamplurimis aliis eiusdem Ecclesiæ Canonicis, & aliis similiter præsentibus & astantibus cum prædictis. Præfati verò Episcopi & Abbates, vnà cum sigillo Decani & Capituli Andegauensis Ecclesiæ præsentibus sigilla sua apposuerunt in testimonium veritatis.

§. VII.

VINCENTIVS Bellouacensis lib. 17. Histor. Speculi c. 20. & quibusdam aliis sequentibus: ac S. Antoninus tit. 20. cap. 13. & aliis quoque proximis, ea, quæ Raino tradit, exscribunt. Nonnulla tamen aliquando vel mutant, vel omittunt, vel locutionibus sui temporis accommodant. Sed quæ ad Renati miraculum & Pontificium cùm nihil attineant, ea notare parum vtile foret.

§. VIII.

PETRVS de Natalibus libro 8. cap. 75. *Maurilius*, inquit, *Episcopus apud Andegauensem ciuitatem claruit, cuius & Episcopus fuit. Hic natione Mediolanensis claris parentibus ortus, primò quidem discipulus sancti Martini in suo monasterio Turonensi fuit, sed postmodum solitariam vitam eligens de Turone recessit, & Andegauensem vrbem adiit, vbi in villa Calduria fanum antiquissimum idolorum reperit, statimque orationem fudit, & ignis de cælo descendens ipsum consumpsit. Ibi ergo sanctus Maurilius Ecclesiam fundauit, quam processu temporis sanctus Martinus consecrauit, vbi, & multo tempore Maurilius in senectute vitæ moram traxit.* & post alia. *Post hæc de consilio beati Martini Archiepiscopi Turonensis in Episcopum Andegauensem electus est.* & post alia: *Dum cuidam matronæ sterili filium à Domino precibus impetrasset, illáque puerum febricitantem ad Maurilium celebrantem in Ecclesia sancti Petri baptisandum adduxisset, dum missa protraheretur, puer sine baptismo expirauit. Ille verò quasi negligentiæ conscius acturus pœnitentiam ab Ecclesia sua aufugit, & claues reliquiarum secum tulit.* & cetera, quæ ab Rainone vel Archanaldo narrantur. *Quem ipse baptisatum Renatum vocauit, & in lege Domini eruditum successorem Episcopatus habuit.*

§. IX.

EX serie temporis huc spectat diploma indulgentiarum, quas Cardinales quatuordecim sub Alexandro sexto Capellæ sancti Renati in castello Possoneriæ dederunt.

Onufrius Sabinensis, Georgius Albanensis, & Hieronymus Pranestensis Episcopi, Dominicus tituli sancti Clementis, Ludouicus Ioannes tituli sanctorum Coronatorum, Laurentius tituli sanctæ Cæciliæ, Baptista tituli sanctorum Ioannis & Pauli, Ioannes Antonius tituli sanctorum Nerei, & Achillei, Bernardinus tituli sanctæ Crucis in Ierusalem, Ioannes tituli sanctæ Priscæ, Guillelmus tituli sanctæ Pudentianæ, Dominicus tituli S. Nicolai inter imagines, Petrus tituli S. Cyriaci Presbyteri, Iulianus tituli sanctorum Sergij & Bac-

chi Diaconus, miseratione diuina sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, vniuersis & singulis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Quanto frequentiùs fidelium mentes ad opera caritatis inducimus, tanto salubriùs animarum suarum saluti consulimus. Cupientes igitur vt Capella sancti Iacobi sita in Parochiali Ecclesia sancti Petri de Saponeriis Andegauensis Diœcesis, in qua quædam laudabilis confraternitas instituta fore dignoscitur, & ad quam venerabilis vir frater Tassinus Dubois Presbyter Eremita dictæ Diœcesis singularem gerit deuotionem, congruis frequentetur honoribus, & à Christi fidelibus iugiter veneretur. & post alia: *Nos Cardinales præfati, videlicet quilibet nostrûm per se, supplicationibus præfati Tassini nos super hoc humiliter porrectis inclinati de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus & singulis Christi fidelibus vtriusque sexus verè pœnitentibus & confessis, qui dictam Capellam in sanctorum Philippi & Iacobi; ac sancti Renati* &c. *deuotè visitauerint*, &c. *centum dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxamus.* & post alia. *Datum Romæ in domibus nostris anno à natiuitate Domini millesimo quingentesimo, die verò vicesimo octauo mensis Octobris, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini Alexandri diuina prouidentia Papæ sexti anno nono. Signatum in plica* N. LE PETIT.

§. X.

HINC sequitur Bulla Leonis decimi pro confraternitate sancti Renati. Sed quia nimis longa est, & aliàs videri potest in apologia aduersarij, quædam illius refero tantùm fragmenta, quæ ad sanciendam historiæ fidem conducant:

Leo Episcopus seruus seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam. & post alia: *Sanè dilectus noster filius magister Ioannes Cheminart clericus Andegauensis Diœcesis, scriptor & familiaris noster tam pro parte charissimi in Christo filij nostri Ludouici Francorum Regis Christianissimi, quàm venerabilis fratris nostri Francisci Archiepiscopi & Comitis Lugdunensis, Galliarum Primatis, & Episcopi Andegauensis,*

ac dilectorum filiorum Decani, & Capituli Andegauensis nobis nuper exposuit, quòd licèt Ecclesia prædicta, in qua beatissimi Renati Confessoris ex eodem vel propinquiori loco oriundi, olim ipsius Ecclesiæ Episcopi & Pastoris corpus in ciuitate Surrenti inibi verbum Dei prædicando vita functi & auctoritate Apostolica ad eandem Ecclesiam Andegauensem, sponsam suam, dum in humanis ageret, translatum, seu veriùs illi restitutum maximo cum honore requiescit, inter alias Cathedrales Ecclesias illarum partium admodum insignis & celebris existat. & post alia: *Et vt confraternitas ipsa & diuinus cultus in eadem Ecclesia laudabiliter conseruetur, & manuteneatur, quòd omnes & singuli confratres, & alij vtriusque sexus Christi fideles verè pœnitentes & confessi, aut propositum confitendi habentes,* &c. Iterum. *Verè pœnitentibus & confessis, aut vt præfertur, propositum confitendi habentibus.* & post alia: *Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo tertio decimo, sexto Nonas Martij, Pontificatus nostri anno primo. Sic signata sub plica, P. Lambertus. A. de Maximis. F. Castilloneus, & sub plicam, P. Cotini.*

§. XI.

SEQVITVR Bulla Clementis septimi pro eadem confraternitate, in qua ferè tota repetitur Leonis Bulla.

Clemens Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. & post alia: *Dudum siquidem per felicis recordationis Leonem Papam X. prædecessorem nostrum accepto quòd licèt Ecclesia Andegauensis, in qua corpus S. Renati Confessoris ex eodem vel propinquiori loco oriundi olim ipsius Ecclesiæ præsulis, cum maximo honore repositum existit, inter alias Cathedrales Ecclesias partiũ illarum insignis & illustris existeret.* & post alia: *Nec non omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus & confessis, qui eandem confraternitatem ingrederentur, & pro primo eorum ingressu decem, & deinde sequentibus annis quinque denarios Turonenses monetæ illarum partium persoluerent, quadraginta dies de iniunctis eis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxauerat.* & post alia: *Confratres verè pœnitentes & confessi, seu statutis à iure temporibus confitendi*

propositum habentes. & post alia: *Confratribus verè pœnitentibus & confessis, aut, vt præfertur, propositum confitendi habentibus.* & post alia: *Et insuper de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, vndecunque existentibus verè pœnitentibus, & confessis, seu statutis à iure temporibus confitendi propositum habentibus,* &c. *plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem misericorditer in Domino concedimus.* & post alia. *Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ 1533. octauo Idus Martij, Pontificatus nostri anno vndecimo. Sic signata sub plica, Io. de Ferariis pro Magistris Io. Moluer. A. Caue. & super plicam Io. Baron, & in dorso. R. Ie. Recinas.*

Paulus Papa quintus visitantibus Ecclesiam fratrum Minimorum ordinis sancti Francisci de Paula Andegauensium in festo sancti Renati, plenariam Indulgentiam concedit: *Bulla data est Romæ apud sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris, die quinta Martij anno 1618. Pontificatus decimo-tertio. Sic signatum, S. Cardinalis S. Susannæ.*

Vrbanus octauus idem fecit, *Bulla data Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 23. Februarij anno 1627. Pontificatus nostri anno 4. Sic signatum, V. Theatin.*

§. XII.

RELIQVVM est modò, vt quæ ad Surrentinos pertinent, monimenta commemoremus. Inprimis illud, quod aduersarius noster ex Chiccarello sic refert: *Tandem in monimentis Cœnobij S. Marcellini Monialium huius ciuitatis fit mentio Stephani huius Consulis priusquam Episcopus esset, ac tum cùm vxorem ac filios haberet. In quodam enim publico documento Neapoli celebrato per Anastasium diaconum sanctæ Ecclesiæ Neapolitanæ anno 763. temporibus Constantini Augusti, Imperij eius anno 45. & Leonis Porphyrogeneti eius filij Imperatoris anno 12. die primo Martij, Indictione prima, perspicitur, Euphrosynam Diaconam & Abbatissam Monasterij sanctorum Marcellini & Petri in emphytheosim atque annuum canonem auri solidorum octo concessisse eidem Stephano eminentissimo, eiúsque coniugi ac filiis & ne-*

potibus vsque ad tertium gradum, ac tertium hæredem, & tertiam personam duntaxat, domum quandam cum horto, in hac splendididissima & à Christo dilecta ciuitate Neapolis posita in platea, quæ ad moneta dicitur, in regione Portonouensi prope oratorium S. Renati, ac bona hæreditatis quondam bonæ memoriæ matronæ, quæ in vrbe Roma morabatur.

§. XIII.

DEINDE aliud, quod Antonius Surrentinus Archiepiscopus nuper aduersario misit, & sic se habet: *Quæ de S. Renato Andegauẽsi primùm Antistite, dehinc Episcopo Surrentino summa diligentia conquisita candidè sinceréque tradi possunt, ea tandem sunt: Nimirum sanctissimum Præsulem, solitariæ quietis studio Roma Surrentum se contulisse, vbi diu vitam ab omni non modò labe alienam, sed ab hominum etiam cœtu seiunctam duxit, donec clariùs in dies eius sanctitatis fama illucescente, è latebris, vbi se abdiderat, repugnanter extractus, in eius vrbis Episcopali tunc sede sedere coactus est. Addunt, eum vnicum illius secessus socium habuisse Valerium, patria Surrentinum: quem sui instituti sectatorem, morúmque egregium imitatorem, probè studiis omnibus pietatis excultum, demum post obitum dignitatis ac muneris quodammodo reliquit hæredem. Locus quem sanctus Renatus sua præsentia cohonestauit, iam piorum ciuium munificentia in ædem sancti eiusdem nomine ac patrocinio nobilem traductus est.* & post pauca: *Compertum etiam exploratúmque certa patrum traditione ad nos manauit, cum corpore Diui Valerij, quod in eiusmodi æde religiosè obseruatur, partem quoque corporis S. Renati condi colíque, prona scilicet ciuium nostrorum in suos tutelares obseruantia ac pietate.*

§. XIV.

TVM aliud quoque, quod idem Archiepiscopus misit, & ab aduersario sic contractum: *Habetur in duplici illo officio,* (quod Surrento missum est) *Renatum genere Gallum fuisse patria Andegauum, natum parentibus nobilitate, ac diuitiis & pietate claris, patri Honorato Cheotedro, matri Bononiæ nomen fuisse: quibus cùm proles ex ma-*

trimonio non proueniret, eos ad S. Maurilij intercessionem confugientes, eiusdem precibus & ieiuniis filium à Deo obtinuisse, quem postea morbo extinctum ab eodem Maurilio orante in vitam restitutum, & ex eo Renatum fuisse appellatum: eumdem verò Renatum solitariæ vitæ studio incensum patriam reliquisse, & Romam primùm, deinde Surrentum venisse, vbi cùm eremiticam vitam ageret, sanctitatis fama increbrescente Surrentinæ sedis Episcopum, licèt valdè repugnantem, electum fuisse, quo in munere cùm sanctè se gessisset, ibidem diem suum obiisse. Ex eodem Surrentino Præsule notat aduersarius, hoc duplici officio *olim ante Breuiarij Romani restitutionem vsam fuisse Surrentinam Diœcesim in celebrando natali eiusdem sancti, adiectis ad finem lectionibus ad modum sermonis in communi festo sanctorum Renati & Valerij recitandis.* Tres hymnos recitare supersedeo, quòd diuersum ab historia Renati nihil contineant.

§. XV.

POSTREMÒ aduersarius refert Antonium Summontæum, qui in historia Neapol. primæ partis lib. 1. de Renato hæc tradit, quæ ille ex Italico auctoris Latina fecit: *Deinde (in serie Episcoporum Neapolitanorum) in anno 401. inuenimus Fortunatum Episcopum Neapolitanum, qui Legati Apostolici munere fungens interfuit Concilio Carthaginensi, vt in actis eiusdem Concilij legitur. Per id tempus legimus de S. Renato Episcopo Surrentino, qui (vt refert Dauid Romaus in vitis Sanctorum Surrentinorum) Gallus fuit, è diœcesi Andegauensi oriundus, natus anno 388. Sed cùm paulò pòst culpa nutricis esset mortuus, intercessione sanctissimi viri Maurilij eiusdem ciuitatis Episcopi, à morte excitatus fuit; quem ea de causa Renatum nominarunt, quasi bis natum. postea verò anno quadringentesimo & vigesimo Maurilio è vita decedente Renatus in Episcopum electus fuit. Qui cùm se indignum eo munere existimaret, relicta patria, solitariã vitam Surrenti egit. Vbi cùm eius sanctitas publicè innotuisset, vacante officio pastorali electus quoque tum fuit Episcopus. Quam dignitatem cùm pro ac potuit recusasset, tandem edoctus, eam Dei voluntatem esse, oneri tanto humeros subiecit, gessitque illud per multos annos in sanctis operibus, ac*

demum annis grauis & miraculis clarus anno 450. sexta die Octobris ad meliorem vitam emigrauit, sepultúsque est in spelunca illa, quam primùm inhabitauerat: vbi procedente tempore ædificata fuit à Surrentinis in eius honorem Ecclesia, quæ hodie tenetur à Monachis Cassinensibus sancti Seuerini & Sosij ciuitatis Neapolis. Habetur porro hic Sanctus à Surrentinis patronus & tutelaris suus, propter miracula, quæ ibi ad salutem & tutelam ciuium variis temporibus calamitosis edita sunt.

Hactenus summa fide retuli, quæ ad Renati Andegauensis & Surrentini Præsulis historiam facere traduntur.

Nunc igitur subiiciendæ sunt obseruationes, quas initio huius Dissertationis pollicitus sum.

Observatio Prima.

Fortunatus non edidit sancti Maurilij vitam quæ vulgò refertur.

A Fortunato edita non est sancti Maurilij vita, quam Vincentius Bellouacensis, sanctus Antoninus, & Surius 13. Septembris referunt. Nam Raino Andegauensis Episcopus semel atque iterum affirmat, Fortunatum cùm Maurilij vitam edidit, de puero sine manuum impositione mortuo, de Maurilij transitu in Angliam, de reditu, de pœnitentia, de suscitato puero, de illius nomine, déque adiunctis aliis mentionem nullam fecisse. At tres illi scriptores totam ea de re narrationem Rainonis in suos commentarios deriuarunt. Sic autem scribit Raino sub nomine Gregorij Turonensis cap. 6. *Quale verò quantúmque miraculum super eundem puerum Dominus per beatum Maurilium postquam sancta Andecauensis Ecclesia Episcopatus honorem accepit, operatus est ad corroborandam fidem fidelium, licèt illud beatus Fortunatus propter minùs credentes omiserit, imò quia verum est, & res est digna memoria, non tacebimus.* Deinde cap. 16. *Quantum verò miraculum super eundem puerum post septimum depositionis ipsius annum per potentissimum Antistitem beatum Maurilium Dominus operari dignatus est, quanquam vti iam diximus illud For-*

tunatus omiserit, nos tamen minimè reticebimus. Quod cùm ita sit, penitus concidit hoc Surij de vita Maurilij iudicium: *Vita sancti Maurilij Andegauensis Episcopi, cuius auctorem duo manuscripti codices non habent: sed cùm constet Trithemio, Fortunatum eius beati viri vitam scripsisse, & stylus consentiat, Fortunatum esse auctorem non facilè negauerim.* Et certè non consentit stylus, nisi quem more suo Surius perpoliuit.

In hac obseruatione quid accuses, tibi nihil occurrit.

Observatio Secunda.

Vincentius Bellouacensis errauit, scribens editam fuisse à Sulpitio Seuero sancti Maurilij vitam.

VINCENTIVS Bellouacensis Sulpitium Seuerum Maurilij vitæ auctorem fuisse significat lib. 17. cap. 20. sed cur significet, cùm nihil sit falsius, disquirentem me omnino fugit. Fortassis in causa fuêre duo; vel quia Vincentius incidit in vnum codicem, qui vtramque Martini Turonensis & Maurilij Andegauensis vitam fortuitò contineret, ob idque codex vnius esse auctoris ab illo putaretur; Vel quia in vita Maurilij hæc de Martino & Maurilio dicuntur cap. 1. *Maurilius Mediolanensis oppidi indigena extitit, parentibus splendididissimis, & ab ipsis pæne cunabulis à B. Martino, qui illis temporibus Mediolani sibi monasterium collocauerat, sacris litteris institutus est. Sed B. Martino Arianorum perfidia de ciuitate illa expulso ibidem demoratus est, quousque à beato Ambrosio ipsius ciuitatis Episcopo officium lectoris accepit. Interea patre eius, qui totam Hesperiam pæne regebat, defuncto, secundùm præceptum Euangelicum relicta matre, omniúmque rerum suarum cupiditate habendi, sub Iuliano tunc Cæsare Martinum, qui tunc Turonicam regebat metropolim, expetiit, & tandiu cum eo moratus est diuinis occupatus officiis, vsque dum ceteros Ecclesiasticos gradus, gratiámque Sacerdotij inuitus Martino cogente susciperet. Adepto itaque sacerdotij honore, arctiorem, quàm inter monachos ducere diligens vitam, vt solus solum liberiùs Do-*

minum sequi valeret, Martini admodum doctrinis eruditus, & aquè benedictionibus roboratus sese inuicem osculantes, & multum flentes, ab eodem ipso nolente discessit, & Andecauorum aggressus est vrbem. Hæc autem cùm animaduertit vir admodum credulus, eumdem esse Maurilij atque Martini vitæ auctorem, facilè sibi persuasit. Quamobrem vbi ex Sulpitio Seuero beati Martini vitam descripsit, beati Maurilij vitam proximè subiicit *ex dictis eius.* Sed in eo Vincentius opinione sua falsus est. Neque ea de re controuersia inter cordatos & eruditos homines vlla moueri potest.

Huic obseruationi quid respondeas, nihil suggerit contradicendi libido.

Observatio Tertia.

An Fortunatus aliquando Maurilij vitam ediderit, incompertum.

VTrvm verò Fortunatus Maurilij vitam composuerit, mihi planè incompertum est. Qui enim ante annum 905. quo Raino Gregorio Turonensi Maurilij vitam appinxit, id memoriæ prodiderit, hactenus inuentus est nemo. Et sanè is non videtur auctor Raino, cui soli post quingentos ferè ab excessu Maurilij annos certa fides habeatur. Deinde cùm, vt priori Dissertatione probatum est, Maurilij vitæ instaurationem Gregorio perperam tribuit, in ceteris sibi multum detrahit auctoritatis. Tum animi nostri suspensionem auget Harmerus canonicus opinor Andegauensis, qui post Rainonem nonnulla beati Maurilij miracula scriptis commendauit. Sic enim habetur ad calcem exemplaris, quod Menardus ad Menagium Lutetiam misit: *Incipiunt piissimi Maurilij miracula, & modernis temporibus à domino Harmero scripta:* & post aliquam præfationem: *Hæc talia proferentes operæpretium est, vt ad liquidum quæ hactenus protelando diu distulimus edicere satagamus, & operis nostri seriem intimare procuremus. Vitam siquidem sancti ac beatissimi Maurilij Andegauensis Episcopi faceta satis vrbanitate à successoribus eius exposi-*

tam esse profitemur, & quæ corporeis nexibus assuetus egit, & quæ postmodum hominem exuens Christi fauente clementia facere dignatus est. Sed restant plurima, quæ tempore moderno acta sunt. Hic auctor non à Fortunato, sed à Maurilij successoribus scriptam esse huius vitam confirmat. Trithemius, & si qui alij traditam à Rainone Maurilij vitam cùm inspexere, Fortunatum olim scripsisse Maurilij vitam dicere, & tolerabiliùs errare potuerunt.

Quæ ex Harmeri verbis in eius sensu colligo, non capis, eámque ob rem me reprehendis. Etenim Harmerus Maurilij vitam ab ipsius Maurilij successoribus scriptam fuisse cùm dicit, inde non inuerisimiliter concluditur, à Fortunato & Gregorio, qui successores Maurilij non fuêre, haud scriptam fuisse Maurilij vitam. A Fortunato & Gregorio viris illustribus scriptam fuisse vt diceret, occasio rei, quam tractat, exigere videtur. Argumentum meo simile, quod fingis, similitudinem nullam habet. Nónne vides contentiosum funem trahere te, cùm quòd probabile est, vel probabiliter dicitur, ad metaphysicos canones expendis? Sed stentorea voce clamas à me in textu Harmeri verbum *expolitam* in *expositam* mutatum esse. Minimè verò. sic enim habet exemplar, quod Menardus ad amicum nostrum Menagium misit. Si codices tui verbum *expolitam* repræsentant, quòd *expositam* ediderimus, Menardi, aut eius commentariensis culpa est, non nostra. Emendatricem tamen vitij manum facilè patior, sed dico Maurilij successores vitam illius si quando expolierint, ea expoliisse ratione, qua Sanctorum historias à librariis subinde tractatas esse Massonus scribit in historia calamitatum Galliæ. Locum alibi referam commodiùs.

Observatio Qvarta.

Nimia cautio duplex expenditur, Rainonis vna, altera Vincentij, Antonini, & Surij.

VINCENTIVS, Antoninus, Surius, vel illi, à quibus Maurilij vitæ codices habuit, carent longa illa præfatione, qua Raino suam de Maurilij miraculo, & de Renato

to narrationem præstruxit. Quænam autem, & quàm cupidè adornata fuerit ab Rainone præfatio, sola lectione constare potest. Illam suprà retulimus, vbi decimum sextum Maurilij vitæ caput integrum retulimus. Hoc autem qui penitiùs inspiciet, verum esse id, quod de Rainonis studio dicimus, iudicabit. Sed cur tam cupidè adornata præfatio prætermissa sit à Vincentio, Antonino, Surio, & aliis, non immeritò quæreretur. In re dubia & ancipiti, quidquid voluerint alij, suspicentur, ego facilè crediderim, illos suboluisse affectationem, & nimiæ cautionis vitium, quod postea sustulerunt. Qua in re idem fuit Rainoni atque aliis consilium; Rainoni quidem, vt recensendo miraculo, quod, vt ait, Fortunatus omiserat, præfatione sua fidem conciliaret; aliis verò, vt sublata præfatione, quæ nimia affectatione laborare videbatur, ne miraculi fides nutaret, impedirent. Sed vtrum ex canonibus Ecclesiæ idem illis omnibus debuit esse hoc consilium, viderint, quorum interest sancitos de Sanctorum nominibus, historiis & pigneribus canones vindicare. Hac in re Episcoporum est decernere, nostrum verò decretis obtemperare.

Quæ hac obseruatione notantur, furtim præteris, cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quod nonnihil aperiat viam inueniendæ, asserendæque veritatis.

OBSERVATIO QVINTA.

Cur Marbodus Renati Pontificium omiserit, idoneam pangendi carminis materiem, disquiritur.

CVR Marbodus Redonensis Episcopus, qui multis, vt apparet, versibus Maurilij miraculum cecinit, de Renati Pontificio nihil habeat, assequi non possum. Ea super re coniecturas aliorum lubenter opperior. Verùm quod in exemplari Menardi traditur de Renati Episcopatu, idoneam esse pangendi carminis materiem quis negaret? aut de industria prætermissum à Marbodo Renati Episcopatum quis assereret? Nam secundùm ea, quæ ille de Maurilij abitu in Angliam, de reliquiarum clauibus, de pisce, de

pœnitentia Maurilij, & apud Andegauenses reditu cecinit, dubitationem in ceteris pati nullam potuit, neque ea vixit ætate, quæ valde pateretur. Deus immortalis! quot & quantos versus Marbodus fudisset in hanc præmunitionem, qua Raino memoratum à se miraculum in exemplari Menardi concludit: *Quod si quis fortuitu æstimauerit fabulosum, Andecauam recurrat ad vrbem. Ibi enim inueniet pretiosissimum Confessorem Christi Maurilium immensis virtutibus florentem, & nec minus Renatum antistitem successorem miraculis coruscantem.* Igitur quæ de Renato Marbodus non scripsit, ea, vel tanquam falsa credidit, vel in codice, quo vsus erat, desiderabantur. Neque sibi Andegauensium quamlibet Scholarum olim rectori cognita tunc fuerunt: hoc est ad annum millesimum centesimum, quo floruit.

Quæ hîc obseruantur de Marbodo, iis tuo silentio faues, cùm nulla ratione possint eludi. Marbodus vir erat doctus, pangendi carminis auidissimus, & in Andegauensium rerum sui saltem temporis cognitione versatus. De Maurilio & Renato cecinit, quæ cecinisse retulimus. In quibus cùm Renati pontificium non tetigerit, rem spreuisse velut falsam sibi visam, vel suo tempore nondum venditari, certissimum argumentum est. sic aliquando veritas ita lucet, vt eam nulla rerum dissimulatio, nullæ verborum præstigiæ valeant obruere.

Observatio Sexta.

Vlgerius Andegauensis, Petrus Cantor, & Petrus de Natalibus in recensione miraculi dissident à Rainone, Marbodo, Vincentio, Antonino, & aliis, qui Rainonem exscripserunt.

VLGERIVS Andegauensis Episcopus, si vera sunt, quæ de eo narrantur, Petrus Cantor, & Petrus de Natalibus ab Rainone, Marbodo, Vincentio, Antonino, & aliis, qui Rainonem exscripserunt, dissident, dissidiique caput

magni videtur esse ponderis. Nam tres illi Maurilium inducunt, qui excitatum à mortuis puerum baptizet. Alij verò quatuor defunctum non sine baptismo, sed sine confirmatione puerum disertè tradunt. quorum duo primi, Raino scilicet & Marbodus ante Vlgerium & Cantorem vixére. Vlgerius opinor & Cantor non crediderunt, aliquid in confirmando puero negligentiæ fuisse satis, vt ductus pœnitentia Maurilius ea faceret omnia, quæ fecisse Raino, Marbodus, & alij omnes commemorant. Itaque Vlgerius, Cantor, Exquilinus Maurilij vitam perlegentes, quod non potuerunt capere, immutarunt. scilicet maluerunt dicere, in eo peccasse Maurilium, quòd vocatus ad baptizandum infantem non antè venerit, quàm infans migrarit è vita. In hanc quoque adduci potuerunt opinionem, quòd datum *ex euentu*, videlicet ex palingenesia, Renati nomen non Confirmationem, sed Baptismum importaret. Hoc nisi contigerit ita vt suspicor, coniici posset, Vlgerium, Cantorem, Petrum de Natalibus incidisse in exemplar, quod ab exemplaribus Rainonis, Marbodi, Vincentij & Antonini discreparet. sed hæc suspectione tantùm nixa sunt. Quare cohibeo assensionem, dum illud eiusmodi exemplar inueniatur. Quicquid id est, nunc diffiteri nemo potest, quin obseruata dissensio insignem traditæ ab Rainone, vel quod idem est, ab Archanaldo Maurilij vitæ partem labefactet. Nuda est & simplex veritatis oratio.

Ad sanciendam historiæ fidem hæc obseruatio quanti sit, prospicis quidem, cùm aduersus omnem retro Ecclesiæ traditionem doces, memorata apud Rainonem manuum impositione, qua Maurilius Renato Spiritum sanctum dedit, intelligendum esse baptismum. sed absurdam, vt mitiùs loquar, interpretationem in priori dissertatione explosimus satis supérque.

Observatio Septima.

Relatum quatuordecim Cardinalium pro indulgentiis Capellæ sanctorum Iacobi & Philippi, nec-non sancti Renati, diploma suppositionis conuincitur.

Mvlta sunt, quibus istud diploma suppositionis conuincatur. Inprimis nullus reperitur *Onuphrius Cardinalis Sabinensis* apud Ciaconium, qui singulas sub Paulo II. Sixto IV. Innocentio VIII. & Alexandro VI. Cardinalium creationes accuratè recenset. Nullus quoque Onuphrius Episcopus Sabinensis in Sabinensium Episcoporum serie, quam tomo 1. Italiæ sacræ Ferdinandus Vgellus inseruit.

Deinde, nullus *Ludouicus Ioannes Cardinalis* apud Ciaconium: præterea hic Cardinalis dicitur tituli *Sanctorum Coronatorum*, qui simpliciter dici non solet, *Sanctorum Coronatorum*, sed *Sanctorum quatuor Coronatorum*.

Tum, *Baptista tituli Sanctorum Ioannis & Pauli Cardinalis* Presbyter nullus extitit sub Alexandro sexto, apud Ciaconium. Vnus quidem sub eodem Pontifice Cardinalis Baptista Cibo, sed ab anno 1479. factus erat Cardinalis Episcopus Tusculanus, ex Ferdinando Vgello. Qui alibi quàm Romæ diploma scripsit, tituli mutationem aduertere non tam facilè potuit.

Quartò, sub Alexandro sexto nullus fuit Laurentius *tituli sanctæ Cæciliæ* Cardinalis apud Ciaconium. sub hoc Pontifice Laurentius Cibo Cardinalis quidem erat apud Ciaconium, sed *tituli sancti Marci*.

Quintò, insolitum est, tot Cardinales Romæ constitutos viuente Papa, eóque inconsulto indulgentias concedere, & eas concedere ad petitionem vnius tantùm Presbyteri Eremitæ nomine Tassini, quemadmodum in diplomate legitur.

Sextò, si quatuordecim Cardinalium cœtus largiretur indulgentias, in vno & certo quodam loco largiretur. at istic

quisque Cardinalis indulgentias concedit in domo sua: *Datum Romæ in domibus nostris.*

Septimò, nullus apud Ciaconium sub hoc Pontifice inuenitur Guillelmus tit. S. Pudentianæ Cardinalis, præter Brissonnetum, qui cùm anno 1500. Romæ non esset, Romæ in domo sua indulgentias dare non potuit. Id cùm ex aliis constat, tum ex missis anno 1500. 22. Decemb. ad eumdem Cardinalem Alexandri literis, quibus Iubileum in Gallia lucrandi potestas datur, cùm præ multitudine negotiorum lucratum ire Romam non posset. Vide hist. Brissonnetorum.

Ad extremum, quis crederet, Cardinales Romæ constitutos motu proprio indulgentias hoc Iubilei anno concessisse, quo adeo non conceduntur à Pontifice, vt iam concessæ suspendantur? Quod disciplinæ genus induxit Sixtus quartus, qui ad annum 1475. Iubileum celebrauit.

Observatio Octava.

Bulla Leonis decimi pro Confraternitate sancti Renati, suppositionis conuincitur.

MVLTA quoque sunt, quibus hæc Bulla suppositionis conuincatur, & primùm quidem in Romano Bullario non habetur. Neque temporis opinor iniuria vel diuturnitas effecit, vt ab anno 1513. quo data dicitur, perierit, aut ex huius Papæ Regestis exciderit.

Deinde Franciscus Lugdunensis Archiepiscopus, in hac Bulla Lugdunensis Comes nominatur, quod à consuetudine scribendi Romanorum Pontificum abhorret.

Tum *confessis, aut propositum confitendi habentibus* indulgentiæ conceduntur, quæ postrema clausula in legitimis indulgentiarum literis nunquam apponitur. In iis enim simpliciter tantùm ponitur: *Verè pœnitentibus & confessis.* sed nunquam additur, *aut confitendi propositum habentibus.* quæ obseruatio vel vnica sufficeret. Taceo locum illum, in quo Renati corpus Surrento in vrbem Andegauensem translatum sic asseritur: *In qua* (Andegauensi Ecclesia) *beatissimi Renati Confessoris ex eodem vel propinquiori loco oriundi olim ipsius Ecclesiæ Episcopi & Pastoris corpus*

in ciuitate Surrenti inibi verbum Dei prædicando vita functi, & auctoritate Apostolica ad eandem Ecclesiam Andegauensem sponsam suam, dum in humanis ageret, translatum, seu veriùs illi restitutum, maximo cum honore requiescit. Leonis verba non sunt ista, sed illius, qui rem antiquioribus ignotam sæculis, conabatur auctoritate pontificia persuadere, quíque nondum certò nouerat, quo in loco natus erat Renatus, num in pagó, vel in vrbe. Quod auctor apologiæ pro sancto Renato non aduertit, quæ sequuntur, commentatus in tertia probatione à monumentis. *Habemus inprimis Capellam sancti Renati in castello Possoneriæ seu Possiaci, ædificatam in eodem ipso loco, in quo ille natus creditur, intra fines Parochiæ sancti Petri de Saponeriis ad ripam Ligeris, tribus ab Andegauo milliaribus. Ædicula est vetustissimi operis, quæ castello bellis ciuilibus ante annos 50. diruto superstes mansit ob Sancti indigenæ venerationem.* Quo in loco natus sit Renatus, non dubitat hic auctor, sed dubitat, qui Bullam edidit. cui credemus? Cùm aliquid nouum inducitur vt antiquum, ne tunc contradicatur cum aliqua hæsitatione inducitur, qua post aliquot annorum vices sublata, quod nouum inducebatur antea, iam vetus comparet, & in certam traditionem deputatur. Quo fit, vt qui postea resistit, ab imperitis & superstitiosis hæreticus nonnunquam æstimetur.

Observatio Nona.

Bulla Clementis septimi pro eadem Confraternitate, suppositionis conuincitur.

HÆc Bulla pari modo suppositionis conuincitur. Nàm in Romano Bullario non extat. Sed cur Romæ non inueniretur Bulla Clementis septimi, qui non ita pridem mortuus est? Deinde semel atque iterum & tertiò repetitur: *Confessi, seu statutis à iure temporibus confitendi propositum habentes.* & post alia: *confessis, aut, vt præfertur, propositum confitendi habentibus,* & post alia. *Confessis, seu statutis à iure temporibus confitendi propositum habentibus.* Idem vtriusque bullæ malleator iisdem vtitur verbis, & prio-

rem Bullam in ista posteriori ferè totam repetit, & repetendo istud confirmat. *In qua* (Andegauensi Ecclesia) *corpus S. Renati Confessoris ex eodem vel propinquiori loco oriundi olim ipsius Ecclesiæ præsulis cum maximo honore repositum existit.* Tum in vtraque Bulla traditur, Andegauensem Episcopum & Capitulum suam ita instituisse confraternitatem, vt qui eandem ingrederentur, *pro primo eorum ingressu decem, & deinde sequentibus annis quinque denarios Turonenses monetæ illarum partium persoluerent.* Sed istud Romani Pontifices nunquam probarent. quasi verò nollent vt qui certam pecuniæ summam non possent soluere, confraternitatem ingrederentur, aut indulgentiarum beneficium consequerentur.

Observatio Decima.

Apparatus in authentici de varia Renati translatione monumenti lectionem instruitur.

Operæpretium est notare nonnulla, quæ ad veram huius monumenti cognitionem necessaria videntur.

1. In hoc monumento non continentur vlla sancti Renati translationum acta, quæ quo tempore translationes factæ sunt, literis mandata fuerint: sed mera tantùm illarum narratio, quæ certè eam non meretur fidem, quam mererentur acta, si prodirent.

2. Qui huic narrationi nauauit operam, post annum 1255. vixit. Translationis, quæ hoc anno facta est, cùm meminerit, post illum annum 1255. vixisse narratorem oportuit.

3. Quo post annum 1255. tempore narrator ille vixerit, incertum. Potuit enim tantundem temporis post translationem vltimam vixisse, quantum post primam vixit, cùm vltimam memoriæ mandauit. Hoc autem si verum esset, propè accederet ad ætatem illius, qui in conficiendis Indulgentiarum literis à secretis fuit quatuordecim Cardinalibus, Leoni decimo, & Clementi septimo. Quicquid id

eſt, quin ſub annum 1255. ſcripſerit dubitari nequit. Quare à prima tranſlatione annis plus minus trecentis, à ſecunda ducentis quadraginta tribus, à tertia centum & ſeptuaginta tribus, & à quarta centum & quatuor abfuit. Ex ſuppoſitione rei loquimur.

4. In eo temporis interuallo, quod inter tot tranſlationes & earum hiſtoricum intereſt, ſi Damiano Cardinali, ſi Guiberto Abbati Nouigentino, ſi Papirio Maſſono creditur, multa in vitis & pigneribus ſanctorum contra rei geſtæ veritatem acciderunt. Quo fit, vt qui monumentum illud poſt annum 1255. confecit, niſi diligenter cauerit, quædam fortaſſis adiecerit tanquam facta, quæ facta non fuerint vnquam. Et reuera, vt iam monui, huic monumento ſeu narrationi non ea fides haberi poteſt, quæ veris tranſlationum actis haberetur.

5. Incredibile prorſus eſt trecentorum fere annorum ſpatio quinque factas eſſe Renati tranſlationes, ſeu reuelationes, vt in iſto monumento traditur, nec vlla vllius acta extare germana, quæ in publicum edantur. Non fuit opinor facilius conſeruare Andegauenſem Synodum, quæ mille ducentis & quadraginta ſeptem abhinc annis in ordinatione Talaſſij habita eſt, quàm acta tranſlationis ſeu reuelationis, quæ anno 1151. velut in Synodo facta narratur. Aderat enim Metropolitanus cum ſeptem prouinciæ Epiſcopis, ſi qua monumento fides adhibeatur. Tot enim prouinciales Epiſcopi non adfuerunt Synodo, in qua Talaſſius Andegauenſis Eccleſiæ curam accepit.

6. Video quidem hoc monumentum dici *authenticum in membrana & multis appenſis ſigillis munitum*, ſed videò quoque dici poſſe, authenticum perinde eſſe atque quatuordecim Cardinalium diploma, quod totidem appenſis ſigillis ſic munitum erat. *In quorum fidem præmiſſorum literas noſtras huiuſmodi fieri, & noſtrorum ſigillorũ iuſsimus appenſione communiri. Datum Romæ in domibus noſtris anno à natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo, die verò viceſimo-octauo menſis Octobris, Pontificatus ſanctiſsimi in Chriſto patris & domini noſtri domini Alexandri diuina prouidentia Papæ ſexti anno nono. Signatum in plica* N. LE PETIT. De his Indulgentiis poſtea nonnihil agetur.

7. In aſſerendis Renati pignoribus, quæ toties tranſlata,

ta, reuelata, reuisa, & resignata narrantur, nimia deprehenditur cautio, aut certa quædam reddatur ratio, cur non æquè de vindicandis Maurilij, Albini, vel Lucinij, atque de Renati reliquiis Andegauenses laborauerint? Maurilij & Albini reliquias transmisisse scio; sed quòd quinquies transtulerint; seu detexerint propter recrudescentem in dies hominum dubitationem, non credo.

8. Ante Rainonis ætatem nulla de Renato vel de Renati exuuiis mota est quæstio. sed ex quo Rainonis iussu Maurilij vitam Archanaldus refecit, dubitari cœpit. sed vbi, & à quibus? nisi quo in loco, & quorum vsui Maurilij vita maximè scripta sit? In hoc instrumenti genere dubitatio identidem recruduit, nec potuit trecentorum ferè annorum spatio extingui, quamuis multorum antistitum auctoritate, Renati corpus translatum, detectum ac reuelatum fuisse dicatur.

9. Duo sunt maximè, quibus post annum 1255. Andegaui suborta tam frequenter dubitatio ex hominum animis euulsa est; diuturnitas temporis, quòd ferrum & saxa ipsa consumit, deinde tria indulgentiarum diplomata, quę valde opportunè accesserunt, & in iisdem asseruari forulis cœperunt. His enim potiùs, quàm vltimæ reliquiarum detectioni euulsio solitæ dubitationis tribui non immeritò potest. Etenim vt omittam cetera, cur vltima reliquiarum detectio seu inuentio minùs celebris id effecisset, quod penultima longè celebrior non effecerat?

10. Ab externis quærenda non sunt, quæ quicquid est monumenti seu narrationis istius asserant. Nullum enim habet testimoniũ sui apud auctores æquales, vel suppares translationum, quæ diuersis temporibus contigerunt. De his translationibus silet Robertus Abbas sancti Michaëlis de monte in periculo maris; qui ceteroqui de Norberto ad quærendas sanctorum reliquias Coloniam profecto, & de facta inibi sancti Gereonis inuentione loquitur ad annum 1123. qui Alani Redonensis, & Angebaudi, seu Iugelbaudi Turonensis Episcopi mortem anno 1157. consignat; qui quandam Stephani Redonensis Episcopi visionem explicat anno 1178. qui celebratos seu pro ciuilibus, seu pro Ecclesiasticis negotiis Episcoporum conuentus identidem describit: sed habitum suo tempore sub Angebaudo Turonensi pro eleua-

tione corporis sancti Renati conuentum Episcoporum non attingit. De his quoque translationibus silet Vindocinense Chronicon, quod in annum 1248. desinit, quamuis ad annum 905. auctam à Rainone Maurilij vitam obseruet: deinde anno 973. Nefingi Andegauorum Episcopi mortem consignet, & successorem laudibus efferat Rainaldum, cui prima in hoc monumento, Renati translatio deputatur. Hoc Chronicon mihi, dum scriberem, R. P. Lucas Dacherius vir doctus & veritatis studiosissimus S. Germani Pratēsis Bibliothecarius communicauit. De his etiam translationibus silet Ioannes Burdigneus Canonicus, & Iuris vtriusque Doctor Andegauensis in annalibus, qui tamen sancti Albini & aliorum Episcoporum miracula, Fulconis & Gaufredi Andegauensium Comitum visiones, & alia id genus passim exequitur, qui anno 1012. ponit non Hubertum sed Rothadum Episcopum, cui nullam Renati translationem tribuit. qui anno 1150. Normannum consignat Episcopum, cui nullam quoque Renati reuelationem tribuit. De his etiam translationibus silet Belleforestus, qui in vita Renati multa dixit, quæ tacere debuit. De his tandem translationibus silet Ioannes Hiretus Andegauensis Doctor Theologus, qui suum de antiquitatibus Andegauensibus librum anno 1618. iuris publici fecit. Vno verbo, Burdigneus & Hiretus hoc monumentum, si suo extabat tempore, spreuerunt potiùs quàm non viderunt.

Hoc autem apparatu qui fretus erit, in arcanum monumenti, quod auctor Apologiæ pro Renato tam magnificè prædicat, securè penetrabit, tum sine vllo discrimine agnoscet, quantæ sit illud auctoritatis & fidei, & quo scriptorum genere veritas ab isto homine asseratur.

OBSERVATIO VNDECIMA.

Post Rainonem sæpius prouisum est, ne quod ille de Maurilio & Renato scripserat, fabulosum crederetur.

RAINO seu Archanaldus sub finem capitis 16. de vita Maurilij præcedentem de Maurilio & Renato nar-

rationem sic præstruxit. *Quod si quis fortuitu æstimauerit fabulosum, Andecauensem recurrat ad vrbem, ibi enim inueniet pretiosissimum Confessorem Christi Maurilium immensis virtutibus florentem, & nec minus Renatum antistitem successorem ipsius miraculis coruscantem.* Nequis autem istud deputaret in fabulas, multiplex postea in Andegauensi Ecclesia Renati facta est assertio. Inprimis Rainaldus Episcopus qui aliquanto post Rainonem tempore floruit, sacra Renati pignora transtulit secundo Idus Nouembris.

Deinde eadem reuelauit Hubertus Præsul anno Christi millesimo duodecimo. Sed cùm à nonnullis mota esset ea de re dubitatio. Gaufridus Episcopus hæc pignora resignauit & reuisit, ac indubitanter reperit.

Tum anno millesimo centesimo quinquagesimo primo maiori, quàm antea celebritate sancti Renati corpus reuelatum est. Huic enim operi manus admouerunt Angebaudus Turonensis, Normannus Andegauensis, Ioannes Maclouiensis, Alanus Redonensis, Bernardus Nannetensis, Radulfus Corisopitensis, Guillelmus Trecorensis, Roaldus Venetensis.

Deinde cùm in dies de sancti Renati corpore recursaret dubitatio, illud anno millesimo ducentesimo quinquagesimo quinto reuisum est. Instrumenti verbis quantum possum, vtor. Huic reuisioni interfuerunt Michaël Andegauensis, Galerannus Nannetensis, Guillelmus Abbas sancti Albini, Nicolaus sancti Sergij Abbas, & alij, qui de Andegauensis Ecclesiæ clero in charta notantur.

Denique hæc reuisio seu reuelatio confirmata est primùm anno millesimo quingentesimo à quatuordecim Cardinalibus, quorum caput est Onuphrius Sabinensis Episcopus, vir Andegaui magis, quàm Romæ notus.

Deinde anno millesimo quingentesimo decimo-tertio à Leone decimo, tum demum anno millesimo quingentesimo trigesimo tertio à Clemente septimo. qui omnes in apologia pro sancto Renato amplissimas confraternitati sancti Renati Indulgentias concesserunt.

Observatio Duodecima.

De Renato multa post Rainonem inuecta.

IUNIORES Rainone scriptores addiderunt multa iis, quæ idem Raino de Renato memoriæ commendauerat. Scilicet administrandam Talassio, qui postea fuit Episcopus, Andegauensium Ecclesiam commisisse, ad Apostolorum limina peregrinatum esse, Surrenti in oppido Campaniæ, cùm ex vrbe non tam rectà reuerteretur in Galliam, graui morbo affectum statuisse, vt cùm discessisset è viuis, corpus suum apud Andegauenses deferretur: discessisse quidem, quemadmodum discipulis prædixerat, & corpus vti statuerat, in vrbem propriam delatum ab iisdem discipulis, qui postea illud in basilica sancti Maurilij condiderunt. Sed hæc omnia patrocinio carent antiquitatis, quòd si non carerent, longè faciliùs admitterentur. Non enim opinor sufficit ista fieri potuisse, vt facta credantur. Id semper fuit persuasum Ecclesiæ, quæ pluribus in Conciliis, & præsertim in vltimis iussit, vt sacrorum rituum & officiorum codices emendarentur, & pristino, quoad licet, nitori restituerentur.

Huic autem obseruationi, qua quicquid de Andegauensi Renato Surrentinis immixto dicitur, concussum, & velut necessario quodam motu labefactatum concidit, quid respondes? omnino nihil. credis-ne satis esse, Surrentinorum officia producere, quæ apud eos ante Rainonis ætatem decantata fuisse non probes? vetera quidem dicis, lego, sed probantem non lego. Non sum nescius, vetusta dici posse officia, quæ aliquot post Rainonem annis instituta certissimis rationibus docerentur, sed hoc loco vetustiora quærimus. Post Tridentinum Concilium sublata sunt è Breuiariis & Officiis, quæ in ea ante quingentos plusquam annos irrepserant. Sed plura in sequenti obseruatione.

OBSERVATIO DECIMATERTIA.

Surrentina testimonia in ipso rei momento dissentiunt inter se.

QVI his in apologia sua testimoniis vtitur, contendit maximè Renatum Surrentinum Episcopum eundem fuisse, qui à Maurilio post septennium suscitatus Andegauensem Ecclesiam rexit. Capitis 3. titulus est, ***Renatum à morte ad vitam reuocatum fuisse precibus sancti Maurilij, eundémque priùs Andegauensem, deinde Surrentinum Episcopum.*** Sed ista testimonia quamquam recentissima hac in re vehementer dissentiunt. Nam in Antonij Surrentini antistitis testimonio dicitur quidem id quod iste titulus præ se fert, sed in Antonij Summontæi testimonio traditur, Renatum, cùm Andegauensis electus esset Episcopus, eo se indignum munere æstimasse, & relicta patria secessisse Surrentum, vbi solitariam vitam egit, & cùm eius sanctitas publicè innotuisset, huius vrbis Ecclesiæ præfectum esse. De hoc Renato sic loquitur Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano. 5. ***Octobris Surrenti in Picentibus sancti Renati Episcopi, & vrbis eiusdem protectoris. Ex tabulis Surrentinæ Ecclesiæ sub Gratiano, & Theodosio, patria fuit Andegauensis, vti ex vita, quam scripsit Dauid Rhomæus presbyter Surrentinus, apparet.*** De altero Renato. 12. ***Nouembris: Andegauis sancti Renati Episcopi eiusdem ciuitatis. Ex Molano in additionibus & tabulis Ecclesiæ Andegauensis. De eo Demochares in tabulis, & Renatus Benedictus in vitis Sanctorum Galliæ, qui illum Surrenti in Italia obiisse, corpúsque Andegauos relatum, in æde sancti Maurilij prædecessoris conditum fuisse affirmat. Cùm tamen Surrentini sanctum Renatum (licèt Andegauensem patria) Episcopum agnoscant, eiúsque corpus apud se requiescere putent, vt in eius vita apud Dauid Rhomæum videre est, de quo etiam Paulus Reg. libro 2. de Sanctis regni Neapolitani.*** In præcipuo igitur rei momento inter se dissentiunt Antonius Surrentinus Episcopus, Dauid Rhomæus Surrentinus Presbyter, Antonius Summontæus, &

Philippus Ferrarius. Sed cùm certa inter dissentientes veritas statui non possit, digna non sunt illa testimonia, quæ in hac causa recitentur. Quinetiam cùm vni opponantur tria, inde fit, vt qui Renatus Surrentinus præsul fuit, idem Andegauensis non fuisse iudicetur. Nec difficile est Antonij Surrentini antistitis testimonium repellere, cùm ipse repellendi causam dederit. Is enim candidè significat, Surrentinam Ecclesiam hodie veteribus non vti officiis, quibus ante Romani Breuiarij restitutionem vsa est. Hæc autem vetera officia non potuerunt reiici, nisi quatenus Ecclesiasticam veritatem non continerent.

Ceterùm de his auctoribus, qui post Baronium scripserunt Baronius diceret; *Quod recentiori auctore de rebus adeo antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur*, tom. 1. Annal. cap. 12. Ego verò tanti viri auctoritate fretus dicam quod sentio, inprimis hæc quæ de Renato Surrentino annotata sunt, ignota fuisse Italis hominibus Antonino Florentino, & Petro Exquilino, qui ducentis abhinc annis de Maurilio & Renato Andegauensi scripserunt: deinde vix probari posse, quòd ea multum præcedant tempus, quo Ludouicus Andium Dux, & eius frater Renatus Neapolitanum regnum administrarunt.

Observatio Decimaquarta.

Andegauensia testimonia cum Surrentinis in aliquibus conueniunt, in aliis non conueniunt.

RHOMAEVS, Summontæus, Ferrarius Surrentinum Renatum præsulem fuisse alium ab Andegauensi Renato præsule testantur. In hoc conueniunt cum Belleforesto, qui Renati Andegauensis vitam ex Andegauensibus opinor Manuscriptis edidit, & fabulosissima Surrentini miraculi recensione adspersit. Conueniunt quoque cum Bullarum Leonis X. & Clementis septimi malleatore, qui Renatum Andegauensem duntaxat Episcopum facit. Eius verba sunt: *In qua* (Ecclesia Andegauensi) *Beatissimi Renati Confessoris ex eodem vel propinquiori loco oriundi, olim ip-*

sius Ecclesiæ Episcopi & pastoris corpus in ciuitate Surrenti, inibi verbum Dei prædicando vita functi, & auctoritate Apostolica ad eandem Ecclesiam Andegauensem, sponsam suam dum in humanis ageret, translatum, seu veriùs illi restitutum.

In aliis verò non conueniunt, quòd Surrentinis negantibus Andegauenses Surrento translatum ad se Renati sui corpus affirment, sed Surrentini Andegauensibus in eo præstant, quòd notent annum 388. quo Renatus lucis vsuram accepit, & annum 450. quo migrauit sexta die Octobris, quòd Renati quoque patrem appellent Honoratum Cheotedrum, & matrem Bononiam sine cognomento, quod perinde ac nomen ipsum poterat in Italia, vel etiam in Gallia inueniri.

OBSERVATIO DECIMAQVINTA.

Laudatum à Chiccarello pro Neapolitanis monialibus sancti Marcellini monumentum, suppositionis conuincitur, quod etsi verum, inutile tamen esset.

TAM aperta est huius monimenti, quod anteà suo lòco retulimus, suppositio vel deprauatio, nihil vt suprà esse possit. Inprimis celebratum traditur anno Christi 763. At tunc temporis æra Christiana nondum erat vsu recepta in publicis Pontificum vel Imperatorum actis, quod omni difficultate caret.

Deinde consignatur *anno 45. imperij Constantini Copronymi,* qui anno imperij 35. periit: vt scribit Anastasius Bibliothecarius in historia: *anno Imperij sui 35. Imperator mense Augusto decima-tertia indictionis exiuit contra Vulgares.* & post pauca, quibus infamem illius interitum persequitur: *Regnauit Imperator post patris sui mortem annis 34. mensibus duobus, diebus 26.* Idem habetur in historia Miscellæ.

Tum notatur *anno 12. Leonis filij Constantini*: at regnauit tantùm annis quinque, vt testis est Anastasius: *eodem*, inquit, *quoque mense quarta indictionis mortuus est*

Leo filius Constantini, cùm regnasset annis quinque, diebus sex exceptis. Idem traditur in historia Miscellæ.

Neque verò existimandum est, hîc annos Constantini numerari, ex quo factus est Augustus ab Leone Isaurico patre, vel annos quoque Leonis IV. numerari, ex quo creatus est Augustus à Constantino patre. Hoc, inquam, existimandum non est; quia contra certam Imperatorum consuetudinem pugnat. Imperatores enim imperij sui annos computasse, vel iis acta publica consignasse nusquam inuenies, ex quo à parentibus facti sunt imperij participes, sed ex quo soli parentibus vita functis regnarunt.

Scio quidem singulas sextæ Synodi actiones, seu sessiones anno 27. post Consulatum Imperatoris Constantini Pogonati, & 12. vel 13. imperij eius consignari. Scio quoque Zachariam Pontificem, qui Constantino Copronymo Imperatore vixit, quibusdam ad Bonifacium Archiepiscopum epistolis diem ita subscribere: *data nonis Ianuarij, imperante domno nostro piissimo Augusto Constantino à Deo coronato, magno Imperatore anno 28. imperij eius anno 6. indictione 15.* Item: *data Calend. Maij imperante domino piissimo Augusto Constantino à Deo coronato, magno, pacifico Imperatore anno 29. P. C. eius anno 7. indictione 1.* Sed istud ad rem non pertinet: quod enim monumentum laudat Chiccarellus, non ita consignatur.

Quinetiam licèt ita consignaretur, ad rem adhuc non pertineret. Vt hoc probem non abibo longiùs. Zacharias Papa in subscriptione epistolę non adiicit annos Leonis IV. qui iam erat coronatus Augustus. Illum enim Constantinus Copronymus pater, anno imperij sui vndecimo indictione 4. coronauerat in die Pentecostes.

Præterea quamuis ab eo tempore, quo Constantinus factus est Augustus à patre, huius anni numerarentur, quadragesimus quintus cum Leonis filij duodecimo non concordaret; siue à die Paschatis, quo Constantinus ab Leone Isaurico in imperium ascitus est anno imperij quarto, siue à Calendis Ianuarij proximè sequentibus, siue à die quoque Pentecostes, quo Leo IV. à Copronymo patre ad imperium euectus est anno imperij vndecimo, siue à Calendis Ianuarij proximè sequentibus vtriusque Constantini & Leonis annorum numerus subducatur.

De-

Denique ſupponamus, hoc monimenti genus fuiſſe notatum anno Chriſti 763. qui æræ Dionyſianæ calculus eſt, & annis Conſtantini à patre in imperium cooptati, tunc annus Chriſti 763. in annum Conſtantini 42. non 45. & annus Conſtantini 45. in annum Chriſti 766. non 763. quadraret.

Deinde annus Leonis IV. duodecimus, cum anno Chriſti 762. non 763. conueniret. Tum indictio prima, qua monumentum notatur, anno quidem 763. Chriſti, ſed anno 45. Conſtantini, & anno 12. Leonis filij non conſentit. Indictio quippe tertia cum anno 45. Conſtantini, & indictio decimaquinta cum anno 12. Leonis concurrit.

Verùm recta ſit Chronologia, quam Chiccarellus adſcribit, tum demum ad rem quid attinet? de oratorio quidem ſancti Renati mentionem facit, ſed vtrum ille Andegauenſis vel Surrentinus extiterit, quem edita à Belleforeſtò Renati vita, furtiuæ Indulgentiarum literæ, Antonius Surrentinus Epiſcopus, Dauid Rhomæus, Antonius Summontæus, Philippus Ferrarius viri non admodũ antiqui repræſentant, non dicit. Quaſi verò nullus præter illum veteribus innotuerit, cui oratorium dicaretur. Porro qui aliis philoſophandi vitium improperat, hoc loco ſincerè vt apparet, atque ex regulis dialectices omnibus argumentatur, & capto Doctore Launoio Andegauenſem vrbem, & Pariſienſe beatæ Genouefæ cœnobium

Ingreditur curru lætos imitante triumphos.

Ceterùm bonus ille vir Iuriſconſultus Neapolitanus, quod in vera vel adulterina charta monaſterio ſancti Marcellini conceſſum inuenit, receptis hoc tempore, quo forſan adhuc viuit, finium & locorum nomenclationibus, quò faciliùs intelligeretur, aptauit. Idque hac in parte non imprudenter fecit, ne quod accidere poſſet, ſi deformatis & demortuis vocabulis emphyteoſim metiretur, variæ inter vicinos de poſitione terminorum, de rigore, de fine controuerſiæ mouerentur.

Leo filius Constantini, cùm regnasset annis quinque, diebus sex exceptis. Idem traditur in historia Miscellæ.

Neque verò existimandum est, hîc annos Constantini numerari, ex quo factus est Augustus ab Leone Isaurico patre, vel annos quoque Leonis IV. numerari, ex quo creatus est Augustus à Constantino patre. Hoc, inquam, existimandum non est; quia contra certam Imperatorum consuetudinem pugnat. Imperatores enim imperij sui annos computasse, vel iis acta publica consignasse nusquam inuenies, ex quo à parentibus facti sunt imperij participes, sed ex quo soli parentibus vita functis regnarunt.

Scio quidem singulas sextæ Synodi actiones, seu sessiones anno 27. post Consulatum Imperatoris Constantini Pogonati, & 12. vel 13. imperij eius consignari. Scio quoque Zachariam Pontificem, qui Constantino Copronymo Imperatore vixit, quibusdam ad Bonifacium Archiepiscopum epistolis diem ita subscribere: *data nonis Ianuarij, imperante domno nostro piissimo Augusto Constantino à Deo coronato, magno Imperatore anno 28. imperij eius anno 6. indictione 15.* Item: *data Calend. Maij imperante domino piissimo Augusto Constantino à Deo coronato, magno, pacifico Imperatore anno 29. P. C. eius anno 7. indictione 1.* Sed istud ad rem non pertinet: quod enim monumentum laudat Chiccarellus, non ita consignatur.

Quinetiam licèt ita consignaretur, ad rem adhuc non pertineret. Vt hoc probem non abibo longiùs. Zacharias Papa in subscriptione epistolę non adiicit annos Leonis IV. qui iam erat coronatus Augustus. Illum enim Constantinus Copronymus pater, anno imperij sui vndecimo indictione 4. coronauerat in die Pentecostes.

Præterea quamuis ab eo tempore, quo Constantinus factus est Augustus à patre, huius anni numerarentur, quadragesimus quintus cum Leonis filij duodecimo non concordaret; siue à die Paschatis, quo Constantinus ab Leone Isaurico in imperium ascitus est anno imperij quarto, siue à Calendis Ianuarij proximè sequentibus, siue à die quoque Pentecostes, quo Leo IV. à Copronymo patre ad imperium euectus est anno imperij vndecimo, siue à Calendis Ianuarij proximè sequentibus vtriusque Constantini & Leonis annorum numerus subducatur.

De-

Denique ſupponamus, hoc monimenti genus fuiſſe notatum anno Chriſti 763. qui æræ Dionyſianæ calculus eſt, & annis Conſtantini à patre in imperium cooptati, tunc annus Chriſti 763. in annum Conſtantini 42. non 45. & annus Conſtantini 45. in annum Chriſti 766. non 763. quadraret.

Deinde annus Leonis IV. duodecimus, cum anno Chriſti 762. non 763. conueniret. Tum indictio prima, qua monumentum notatur, anno quidem 763. Chriſti, ſed anno 45. Conſtantini, & anno 12. Leonis filij non conſentit. Indictio quippe tertia cum anno 45. Conſtantini, & indictio decimaquinta cum anno 12. Leonis concurrit.

Verùm recta ſit Chronologia, quam Chiccarellus adſcribit, tum demum ad rem quid attinet? de oratorio quidem ſancti Renati mentionem facit, ſed vtrum ille Andegauenſis vel Surrentinus extiterit, quem edita à Belleforeſto Renati vita, furtiuæ Indulgentiarum literæ, Antonius Surrentinus Epiſcopus, Dauid Rhomæus, Antonius Summontæus, Philippus Ferrarius viri non admodū antiqui repræſentant, non dicit. Quaſi verò nullus præter illum veteribus innotuerit, cui oratorium dicaretur. Porro qui aliis philoſophandi vitium improperat, hoc loco ſincerè vt apparet, atque ex regulis dialectices omnibus argumentatur, & capto Doctore Launoio Andegauenſem vrbem, & Pariſienſe beatæ Genouefæ cœnobium

Ingreditur curru latos imitante triumphos.

Ceterùm bonus ille vir Iuriſconſultus Neapolitanus, quod in vera vel adulterina charta monaſterio ſancti Marcellini conceſſum inuenit, receptis hoc tempore, quo forſan adhuc viuit, finium & locorum nomenclationibus, quò faciliùs intelligeretur, aptauit. Idque hac in parte non imprudenter fecit, ne quod accidere poſſet, ſi deformatis & demortuis vocabulis emphyteoſim metiretur, variæ inter vicinos de poſitione terminorum, de rigore, de fine controuerſiæ mouerentur.

Observatio Decimasexta.

Maurilius à sancti Martini successoribus potiùs quàm ab eo creatus est Andegauensis Episcopus.

QVi Andegauensium Episcoporum seriem edidêre, sunt numero sex, Ioannes Burdigneus in annalibus Andegauensibus, Ioannes Salmonius Andegauensis Theologus & Canonicus apud Democharem lib. 2. de sacrificio Missæ, Ioannes Chenutius in Chronologica Archiepiscoporum & Episcoporum Galliæ historia, Iacobus Seuertius Parisiensis Theologus in Chronologia Lugdunensium & aliorum Episcoporum, Ioannes Hiretus Andegauensis & Doctor Theologus, in libro Andegauensium antiquitatum, Claudius Robertus in Gallia Christiana. Duo primi primos Episcopos sic numerant.

Defensor. anno 375.	*Maurilius.*
Apothemius.	*Renatus.*
Prosper.	*Talassius.* anno 453.

Quatuor alij primos quoque Episcopos hoc ordine numerant.

Defensor.	*Maurilius.*
Auxilius.	*Nesingus.*
Apothemius.	*Renatus.*
Funerius.	*Talassius.*
Prosper.	

Qua in re duo primi scriptores ab aliis quatuor conueniant, vel dissentiant, nobis silentibus tabula ipsa demonstrat. Hic autem Episcoporum ordo si certus est, seu prout à duobus primis scriptoribus, seu prout ab aliis quatuor repræsentatur, Maurilius à Martino consecrari non potuit Episcopus, nisi quod vix credi potest, secundùm vnos, Defensor, Apothemius & Prosper, & secundùm alios, Defensor, Auxilius, Apothemius, Funerius & Prosper ante sanctum Martinum excesserint. sustine tantisper Lector.

Ex duobus istud facilè comprobatur, primùm ex recensione antistitum, qui ad eligendum constituendúmque Martinum Episcopum Turonos iuerunt. Deinde ex nume-

ro annorum, quos Martinus in Epiſcopatu tranſegit. Vnum ex his tradit Seuerus libro de vita ſancti Martini, capite 7. *Sub idem ferè tempus ad Epiſcopatum Turonicæ Eccleſiæ petebatur.* & poſt pauca: *Vna omnium voluntas, eadem vota, eadémque ſententia Martinum Epiſcopatu eſſe digniſſimum, felicem fore tali Eccleſiam ſacerdote. Pauci tamen, & nonnulli ex Epiſcopis, qui ad conſtituendum antiſtitem fuerant euocati, impiè repugnabant.* & poſt alia: *Inter Epiſcopos tamen, qui affuerunt, præcipuè Defenſor quidam nomine dicitur reſtitiſſe: vnde animaduerſum eſt, grauiter illum lectione prophetica tunc notatum. Nam cùm fortuitu Lector, cui legendi eo die officium erat, interclusus à populo defuiſſet, turbatis miniſtris dum exſpectatur, qui non aderat, vnus è circunſtantibus ſumpto pſalterio, quem primum verſum inuenit, arripuit. Pſalmus autem hic erat:* Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicum & defenſorem. *Quo lecto clamor populi tollitur, pars diuerſa confunditur. Atque ita habitum eſt, diuino nutu Pſalmum hunc lectum fuiſſe, vt teſtimonium operis ſui Defenſor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfecta & oſtenſus pariter & deſtructus eſt inimicus.* Ecce tibi Defenſor, qui in omnibus Andegauenſium præſulum Catalogis primus collocatur.

Alterum Gregorius Turonenſis ſuppeditat tribus in locis. Primùm quidem libro 1. de miraculis ſancti Martini cap. 3. *In quo* (Epiſcopatu) *glorioſam & pæne inimitabilem agens vitam, per quinquennia quinque, bis inſuper geminis menſibus cum decem diebus octogeſimo primo ætatis ſuæ anno, Cæſario & Attico Conſulibus, nocte media quieuit in pace.* Deinde ex libro 1. Hiſt. Franc. cap. 43. *Arcadij verò & Honorij ſecundo imperij anno ſanctus Martinus Turonorum Epiſcopus plenus virtutibus & ſanctitate præbens infirmis multa beneficia octogeſimo & primo ætatis ſuæ anno, Epiſcopatus autem viceſimo ſexto, apud Condatenſem Diœceſis ſuæ vicum excedens à ſæculo feliciter migrauit ad Chriſtum.* Tum ex libro 10. hiſt. cap. 31. de Martino Turonenſi. *Sedit annos 26. menſes 4. dies 27.* Ex his ſex habentur & viginti cum aliquot menſibus & diebus anni, quorum numero beati Martini Epiſcopatus definitur. qua de re qui du-

bitauerit, hactenus inuentus est nemo.

Hęc autem duo cùm certissima sint, restat, vt quibus in locis nulla principum grassabatur in Christianos persecutio, num tres Episcopi, secundùm quosdam, quinque secundùm alios viuente adhuc Martino, scilicet intra viginti sex annorum spatium decesserint, vel non decesserint, iudicetur. Si non decesserint omnes, quod summa cũ ratione credi potest, Maurilius non potuit Andegauensis Episcopus à Martino consecrari: si verò omnes decesserint, consecrari quidem potuit, sed mirum profectò esset, dictúque incredibile, duos iuxta quosdam, quatuor iuxta alios Defensoris successores fuisse à Martino pro iure Metropolitani consecratos Episcopos, nec mentionem tantæ rei vllam fieri à Seuero, qui cognita sancti Martini gesta tam accuratè scripsit. Quid puer Ticini, quid miles in exercitu Constantij Imperatoris, & Iuliani Cæsaris; quid Catechumenus Ambiani; quid baptizatus Augustoriti Pictonum; quid ex Gallia reuersus in Italiam Mediolani; quid in insula Gallinaria; quid constitutus Episcopus Turonis in vrbe & in pago; quid Treueris cum Maximo; quid alibi passim fecerit, dixeritque Seuerus diligenter exequitur: sed ne vnius quidem Andegauensis Episcopi consecrationem à Martino factam commemorat: tantum abest, vt duorum vel quatuor succedentium sibi pręsulum inaugurationes vir non indiligens, & magistri sui amantissimus obliuisceretur. Vt de aliis taceam, ex Andegauensi Martyrologio, quod Hiretus laudat, apertè colligitur, Maurilium, cùm anno 406. factus sit Episcopus, à Martino, qui iam migrauerat, consecratum non esse: qua de re in sequenti obseruatione dicetur ampliùs.

An autem secundum ista necesse sit, vt aliquis interseratur Episcopus inter Maurilium & Talassium, qui anno 453. regendam Andegauorum Ecclesiam suscepit, aliorum iudicio permittimus, quibus epocha duorum Andegauensium præsulum certissima esse debet, Defensoris & Talassij. Nam Defensor, cùm electioni Martini interfuerit, Andegauensem Ecclesiam regebat anno 375. quo Martinus constitutus est Turonorum Episcopus. Talassius verò anno 453. quo habita in eius ordinatione Synodus consignatur. Hîc vera reddi posset ratio, cur de numero, & de tempore

primorum nonnullarum Ecclesiarum Episcoporum auctores varient, si quàm facilè redderetur, tam benignè admitteretur, nec φιλομύθων crabrones irritarentur. sed supersedeo.

Observatio Decimaseptima.

Quædam de Martino, déque Maurilio in Maurilij vita notantur adscititia.

HVic, vt apparet, obseruationi causam dedit superior, qua vidimus, Maurilium non à Martino, sed à Martini potiùs successoribus Andegau. Episcopum creatum esse.

In primis falsum est, quod in edita per Rainonem Maurilij vita traditur, Martinum *sub Iuliano Cæsare* Turonicam metropolim rexisse. Quæ falsitas facilè colligitur ex Seuero lib. de vita Martini cap. 3. *Interea irruentibus intra Gallias barbaris, Iulianus Cæsar, coacto in vnum exercitu apud Vangionum ciuitatem donatiuum cœpit erogare militibus, vt est consuetudinis, singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum verò opportunum tempus existimans, quo peteret missionem, (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuum non militaturus acciperet:) Hactenus, inquit ad Cæsarem, militaui tibi, patere, vt nunc militem Deo: Donatiuum tuum militaturus accipiat: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum verò aduersus hanc vocem tyrannus infremuit, dicens, eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non religionis gratia detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immo illato sibi terrore constantior: si hoc, inquit, ignauia adscribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, & in nomine Domini Iesu, signo crucis, non clypeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur facturus fidem dictis, vt inermis barbaris obiiceretur. Postera die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia seséque dedentes.* Hoc autem accidisse anno Christi 356. notant Baronius & alij. Ad hunc igitur annum Martinus relicta militia Hilarium Pictauensem adiit, & aliquandiu apud eum commoratus est, nec multò pòst in patriam reuertitur:

ſed cùm audiiſſet exulem factum Hilarium, & turbatam Arianorum factione Eccleſiam, Mediolani ſibi monaſterium ſtatuit. Deinde cùm ab Auxentio vexaretur, & anno 360. Hilarius ab exilio rediret in Galliam, eum ſecutus eſt, nec longè ab oppido Pictauenſi monaſterium collocauit. Tum vt alibi vidimus, anno octauo Valentis & Valentiniani creatus eſt Turonorum Epiſcopus. Quod cùm ita ſit, non poteſt id non eſſe falſum, quod de Martino traditur in Maurilij vita. Sed lepidum huius mendacij defenſorem audire iuuat in Apologia ad ſextam obiectionem: *Si anni,* inquit, *Iuliani computentur ab eo tempore, quo Caſar fuit appellatus (qui fuit anno Chriſti 360. iuxta Hieronymum) cùm ab eo tempore ad eiuſdem Iuliani mortem ſeptem anni fluxerint, facilè potuit contingere, vt Pontificatus Martini in tempus imperantis Iuliani incideret. Nam Iouianus, qui Iuliano ſucceſſit, octo tantùm menſibus tenuit imperium. Iouiano ſubrogatus eſt Valentinianus, quem certum eſt Martinum iam Epiſcopum initio imperij ſui adiiſſe.* His in verbis quot commata, tot propemodũ errores. 1. Falleris mi homo, dùm ais, Iulianum Cæſarem appellatum fuiſſe anno Chriſti 360. iuxta Hieronymum. Hieronymus enim annos Chriſti Chronico ſuo non adiunxit, ſed poſt Hieronymum alij, qui in editione Mombritij, Mediolanenſi vt ſuſpicor, iſtud anno Chriſti 356. in editione Baſilienſi & Burdegalenſi anno 359. factum narrant. 2. Falleris, dum ab anno Chriſti 360. ad Iuliani mortem annos ſeptem fluxiſſe ſcribis. Hieronymus enim, quem laudas, in editione Mediolanenſi anno Chriſti 364. & in editione Baſilienſi, & Burdegalenſi anno 366. periiſſe tradit. 3. Falleris, dum Cæſaris dignitatem cum Imperatoris dignitate confundis: ſed in hunc errorem qui labitur, in hiſtoria Imperatorum abecedarius ſit & ἀναλφάβητος oportet. Aliud enim eſt tunc Cæſar, aliud Imperator. Iulianus pluribus annis fuit Cæſar, quàm Imperator. 4. Falleris, dum ais Martini Pontificatum in tempus Iuliani imperantis incidere, quamuis fingeres, Iulianum ad annum Chriſti 367. vitam protraxiſſe. Martinus enim factus eſt Epiſcopus anno Valentis & Valentiniani octauo, qui iuxta Baronium in annum Chriſti 371. & iuxta alios in annum 375. incidit. 5. Falleris, quia in hac annorum computatione, cùm iuxta Gregorium Turonenſem Martinus annos in pontifi-

catu vixit tantùm 26. menses 4. dies 27. migrasset anno Christi 391. vel plures in pontificatu vixisset annos, quàm 26. menses 4. dies 27. vtrumque solo discutiendum risu. 6. Falleris, dum rationem reddis, cur numeratis ab anno Christi 360. septem imperij Iuliani annis, contingere potuerit, vt Martini pontificatus in tempus Iuliani imperantis incideret: hæc autem ratio est, *Nam Iouianus, qui Iuliano successit octo tantùm mensibus tenuit imperium:* ô egregiam planè rationem! Iouianus, qui Iuliano successit, octo duntaxat mensibus regnauit, igitur Pontificatus Martini in tempus imperantis Iuliani incidit. 7. Falleris, dum affirmas, Martinum iam Episcopum ad Valentinianum initio imperij sui iuisse, cùm Martinus anno tantùm Valentis & Valentiniani octauo factus fuerit antistes: immo si Baronio potiùs, quàm Gregorio Turonensi credatur, initium Pontificatus Martini ann. 12. Valentis & Valentiniani consignatur: & sic in finem imperij Valentis, & Valentiniani, non in principium incurrit. In quacunque supputatione semel atque iterum falleris: in Baronij, cùm aliud sit finis, aliud initium imperij: in Gregorij, cùm annus Valentis & Valentiniani octauus magis ad finem imperij illorum, quàm ad initium accedat: vt videre est ex Hieronymi verbis in Chronico: *Regnauit,* inquit, *Valentinianus & Valens annos 14. menses 5.* Sed fallor egomet; cùm plures hîc sint errores, quàm commata, si benè numerentur. Sunt tantùm commata quatuor vel ad summum quinque, sed sunt errores septem, & septimus est duplex ad demensum.

Deinde falsum est, quod apud Magnobodum de Maurilio dicitur in eius vita: *Beatus igitur Maurilius sub Iuliano Cæsare terrenam patriam pro Christi amore despiciens, humilis exul in Gallias aduentauit iam Lector ordine, viam sanctæ paupertatis secutus.* Apud Rainonem verò plura: *Maurilius Mediolanensis oppidi indigena extitit, parentibus splendidissimis, & ab ipsis pæne cunabulis à beato Martino, qui illis temporibus Mediolani sibi monasterium collocauerat, sacris literis institutus est: sed beato Martino Arianorum perfidia de ciuitate illa expulso ibidem demoratus est, quousque à beato Ambrosio ipsius ciuitatis Episcopo officium Lectoris accepit. Interea patre eius, qui totam Hesperiam pæne regebat, defuncto, secundum præceptum Euangelicum re-*

licta matre, omniúmque rerum suarum cupiditate habendi, sub Iuliano tunc Cæsare Martinum, qui tunc Turonicam regebat metropolim, expetiit, & tamdiu cum eo moratus est, diuinis occupatus officiis, vsque dum ceteros Ecclesiasticos gradus, gratiámque Sacerdotij inuitus Martino cogente suscepit. 1. Non potuit Maurilius sub Iuliano Imperatore, multominus Cæsare Lectoris officium accipere ab Ambrosio, qui nondum erat Episcopus. Nam ab interitu Iuliani ad Ambrosij Episcopatum intercedunt anni iuxta Hieronymum in editione Mediolanensi vndecim, in editione Basiliensi, & Burdegalensi tredecim, in Annalibus demum Ecclesiasticis circiter decem. 2. A beato Martino ceteros gradus Ecclesiasticos, sacerdotiíque gratiam accipere non potuit Maurilius, qui anno Christi trecentesimo sexagesimo sexto factus est Presbyter, & anno quadringentesimo sexto Episcopus. Nam Martinus anno Christi trecentesimo sexagesimo sexto nondum erat Episcopus, & anno quadringentesimo sexto desierat esse Episcopus. Quod iam alibi demonstratum est. Restat tantùm, vt certa Maurilij asseratur ætas: Ioannes Hiretus Andegauensis in Theologia Doctor, Andegauensium antiquitatum libro scribit: *In Andegauensi Martyrologio legi Maurilium per annos quadraginta Presbyteratum, & per annos 30. Episcopatum gessisse, & annum agentem nonagesimum migrasse.* Idem quoad annos Episcopatus, & vitæ habetur in edita per Rainonem Maurilij vita sub finē. Deinde in festo translationis Maurilij tradit, *mortem illius anno quadringentesimo trigesimo sexto accidisse.* Quo ita constituto, Maurilius nascitur anno Christi trecentesimo quadragesimo sexto, fit Presbyter anno trecentesimo sexagesimo sexto, creatur Episcopus anno quadringentesimo sexto, & anno quadringentesimo trigesimo sexto moritur nonagenarius. Aut error est in Maurilij vita, aut in Andegauensi Martyrologio, quæ hac in parte conciliari nequeunt. In Martyrologio quoad Episcopatus epocham maximè nullum subesse errorem crederem, cùm ex aliis, tum ex hoc quoque, quòd Seuerus Maurilium à Martino consecratum antistitem non meminerit in Martini vita, cùm vt meminisset, res ipsa exigere videatur.

His adde, Antonium Summontæum cum hoc Marty-

rologio,

rologio, & cum officio festi translationis S. Maurilij pugnare, dum in historia Neapolitana scribit, Maurilium anno Christi 420. decessisse. Quanquam nihil est quod moremur Summontæum, Rhomæum, & alios eiusmodi recentiores, qui quando res antiquas tractant, nullum rerum vel scriptorum delectum habent, sed qui quodcunque, vbicunque, quomodocunque, & quacunque traditum inueniunt, id continuò suis consignant monimentis.

Hæc autem omnia cùm ita sint, non hæc Maurilij vita Maurilium in ordine Pontificum, & Sanctorum Andegauensium, sed Ecclesiæ Romanæ, Vsuardi, Adonis, aliorúmque Martyrologia, & veteres basilicæ, quibus ante annos octingentos fidem præstat Theodulfus, retinent, retinebúntque semper.

Observatio Decimaoctava.

Quæ tractandi methodus seruanda in rescindendis vel retinendis iis, quæ quis in vita Maurilij rescindere vel retinere vellet.

QVAE de Renato ex tradita per Rainonem Maurilij vita retulimus, ea retulisse, de re tota iudicasse est: deinde, ita comparata sunt omnia, vt non priùs vni rei, quàm alteri fidem detrahas. Quare vel omnia reiicienda, vel omnia retinenda sunt. Ista enim æstimari non possunt eius generis, vt quibusdam reiectis, alia tum demum retineantur; siquidem vt æstimarentur, non ad cuiuslibet arbitrium, sed ad vetustius & probioris notæ exemplar vitæ Maurilij aut Renati æstimarentur. An autem exemplar tale reperiri queat, viderint, qui quicquid de Renato produximus in substantiam rei & circumstantias partiri vellent. Vbi enim inuentum fuerit antiquius & melioris notæ exemplar, & collatum cum eo, quod est Andegaui, tunc seruetur hæc regula Tertulliani: *ex ipso ordine manifestatur id esse verum, quod sit priùs traditum, id autem extraneum & falsum, quod sit posteriùs immissum.* Inter illa duo exemplaria *determinabit temporis ratio, ei præscribens auctoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præiudicans vitiationem, quod poste-*

rius reuincetur. In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. Qui decipi, aut alios decipere noluerint, ad hanc regulam examinent oportet ea, de quibus hîc agimus. Sed apage, qui sine ope veterum codicum occupati rerum præiudiciis, quibus occupari volunt, modò substantiam vocant istud, quod retinendum, modò circumstantiis deputant illud, quod tollendum sibi esse videtur. Qua tractandi licentia illuditur, quicquid vnquam de asserendis Sanctorum nominibus, de vindicandis illorum pignoribus, déque reddendo cultu Ecclesia decreuit.

Nunc gratulor tibi, quod huic obseruationi, quæ doctrinæ Patrum tota innititur, manus dederis, & scriptam à Magnobodo Maurilij vitam obieceris, quæ scriptæ ab Rainone, vel Archanaldo Maurilij vitæ præferatur. Hoc est, vt quidquid apud Rainonem vel Archanaldum cap. 16. vitæ Maurilij de Maurilio & Renato traduntur, procul amandentur. Ergo tibi tuam hac in re prudentiam gratulor. Gratulatur & in hac obseruatione Tertullianus. gratulatur & alibi semper, vbi pro recepto Ecclesiæ more contra nouitates *compendij gratia de posteritate* præscribit. Sed quamuis scriptæ à Magnobodo Maurilij vitæ ea Rainonem adiecisse, quæ adiecta cernimus, mutua vtriusque exemplaris contentio doceat, illud tamen adhuc certissimè confirmatur ex Vindocinensi Chronico, in quo sic habetur: DCCCCV. *vita sancti Maurilij inuentio, vel potiùs augmentatio per Rainonem Episcopum & Archanaldum scriptorem facta est.* Deinde licèt exemplar Maurilij vitæ, quam Magnobodus scripsit, exemplari Maurilij vitæ, quam Raino edidit, anteponendum esse contendam, scriptam tamen à Magnobodo Maurilij vitam in omnibus expertem esse vitij non contendo. quippe qui nec sit æqualis, nec suppar. Quid autem de ea vita sentiendum sit, superiori obseruatione demonstraui.

Quæ historiæ Renati desunt ad maiorem illius firmitatem, indicantur.

NVNC superest, vt quæ ad certiorem Renati Andegauensis historiam desunt, simpliciter ac breuiter aperiam.

§. I.

INPRIMIS deest testimonium Sulpitij Seueri, qui quæ ab Rainone de Maurilio & Renato traduntur in eius vita cap. 16. si contigerint omnia, & beati Martini tempore, vt apparet ex hac vita, contigerint, ignorare non potuit. Hæc autem vel in sacra historia, vel in vita sancti Martini, vel in aliis operibus memorandi certam occasionem nactus est, cùm ex reipsa, quòd excitati à mortuis post septennium pueri narratio memoriæ dignissima sit, & ad sanciendam Christianæ religioni fidem vtilissima, tum quòd beati Martini potissimùm interfuerit videre, nequid Andegauensis Ecclesia detrimenti caperet, absente per annos septem Maurilio Episcopo & pastore. Quid igitur Metropolitanus in tam insolito & ecclesiasticis regulis vetito casu fecerit, (nihil enim fecisse quis diceret?) ad illius historiam spectat, ac proinde meminisse debuit Seuerus, qui cùm non meminerit, & plurium minoris momenti rerum meminerit, ex eo minùs firma Renati historia videtur.

§. II.

DEINDE deest testimonium Andegauensis Concilij, quod in ordinatione Talassij celebratũ anno 453. multos de Ecclesiastica disciplina canones sanxit. Quod enim in nostra Renati historia de Maurilio & Renato Ecclesiam suam deserentibus narratur, exigit, vt spectantes ad pastoralem curam canones instaurentur. Hinc sanctus Maurilius inscio clero & populo Ecclesiam suam per septem annos deserit, hortulanum in Britannia professus: Inde Renatus Maurilij successor proximus Ecclesiam quoque suam relinquit, dicentibus aliis eum Alpes transgressum rectà Surrentum perrexisse, ibi per aliquod tempus hæsisse, & cùm Romam ire vellet, impeditum esse, ne Surrento exiret, & tandem in hac vrbe migrasse; affirmantibus verò aliis illum Romam ad Apostolorum limina profectum, deinde Surrentum diuertisse, atque ibi solitariam vitam ad vltimum vsque spiritum duxisse: adiicientibus tandem aliis, ad Surrentinam Ecclesiam cùm vacauit, translatum fuisse. Hæc

porrò Andegauensis Ecclesiæ conditio, hic status conuenientibus ad ordinationem Talassij Episcopis in iusta esse causa potuit, vt de residentia, de negligentia & pœnitentia pastorum tractaretur, & inter alia caueretur, ne quis Episcopus inconsulto Metropolitano, & aliis prouinciæ antistitibus Ecclesiam desereret, quemadmodum Maurilius & Renatus deseruerant, aut ne quod ipsi cognito soli Deo consilio fecerant, in exemplum traduceretur. At inter duodecim huius Concilij canones nullus est, qui Episcoporum residentiam vel negligentiam attingat, vel agendæ propter negligentiam in baptizando aut confirmando, pœnitentiæ modum præscribat. Ex huius autem rei silentio dicimus, minus vt minimum firmam Renati historiam videri.

§. III.

TVM deest inter Pontificum epistolas testimonium Sixti, Leonis, vel alterius Papæ, qui, vt volunt, Surrentinis præcepit, vt Renati corpus Andegauensibus redderent, hísque, vt tutò deferrent, validam præsidiariorum manum adiunxit. Sic loquuntur, qui nouarum rerum conditione veterem earundem rerum statum metiuntur.

§. IV.

QVARTÒ deest testimonium Fortunati, qui si, vt tradit Raino, sancti Maurilij vitam edidit, tam stupendum támque singulare miraculum prætermittere non potuit, hoc est, quicquid ad Renatum ipsum spectat. Nec sanè commoda est Rainonis ratio, cur Fortunatus illud dedita opera prætermiserit: *propter minus*, inquit, *credentes*. Ne opinor Ethnici, aut minùs constantes in fide Christiani offendâtur. Quinetiam vel eo maximè necessaria censentur miracula, vt spectatis iis ad Christum Ethnici conuertantur faciliùs, & minùs constantes in accepta fide confirmentur. Huc accedit, quòd à Maurilio patratum in infante dicto postea Renato miraculum eam ob causam prætermisisse Fortunatum Raino diuinet. Præterea siue Fortunatus Maurilij vitam scripserit, siue non scripserit, Renatum vel historiam Renati ne verbo attigit quidem in variis opusculis, vbi illustriorum

Galliæ Martyrum & Confessorum virtutes ac miracula depingit. Huius auctoris de translato Hierosolymis in Hispaniam Iacobo silentiũ effecit, vt quam ea de re Baronius sententiam in Martyrologio confirmauerat, eam postea in annalibus Ecclesiasticis reuocauerit ad annum 816. Hæc autem intacta transilis, nisi fortasse, quæ ad obseruatam à me de Fortunato *αὐτιλογίαν* commentatus es, sufficere tibi credas. Sed meo quidem iudicio non credes ampliùs, si quousque tua progrediatur commentatio, suprà inspexeris.

§. V.

QVINTÒ deest testimonium Gregorij Turonensis, qui tot in libris suis miracula cùm recensuit, ne istud attigit quidem. Et reuera in recensione miraculorum si culpandus esset Gregorius, facilitatis potiùs quàm negligentiæ culparetur. Præterea Turonensis ciuitas ab Andegauensi non ita distat, quin facilè potuerit rescire, quæ ibidem miracula patrata fuerant.

In istis Andegauensium rebus Gregorij diligentiam produnt sancti Albini miracula, quæ libro de gloria Confessorum cap. 96. recenset. Testantur & notati Andegauenses illi, in quibus sancti Martini virtutes eluxerunt. libro 1. de miraculis S. Martini cap. 22. *Leomeris ergo quidam nomine seruus cuiusdam hominis Andegauini ab angue percussus, contracta manu ligatur,* &c. libro 2. cap. 33. *Proferat & Andegaua regio miraculum suum, de qua Alomeris quidam procedens cum, contractis pedibus ac manibus, lingua etiam debili beati Confessoris templum expetiit,* &c. libro eodem cap. 48. *Ex pago autem Carnotensi, qui in Andegauo territorio habetur, vir quidam nomine Floridus, manibus pedibúsque contractis ad sanctam Cellulam Condatensem, de qua beatus Confessor ad Christum migrauit, allatus est,* &c. libro 3. cap. 11. *Sed & alia mulier de Andegauo territorio digitis in palma defixis, vt ad locum sanctum preces effudit, sanata manu discessit.* libro eodem cap. 23. *Incola autem Andegauensis vrbis turbatis membris morbo caput conuertit ad lectulum,* &c. libro eodem cap. 27. *Puer verò ex Andegauo territorio, dum in domo parentum resideret, per impressionem, vt ipse asserebat, artis diabolicæ, manuum pedúmque*

perdidit vsum, &c. libro eodem cap. 31. *Mulier quadam ex Andegauo veniens, qua omnibus quidem membris arida erat*, &c. libro quarto & vltimo de miraculis S. Martini cap. 17. *Puerulus paruulus nomine Londanaldus seruus cuiusdam Baudeleisi de vico Andegauensi, cui Cronio antiquitas nomen indidit*, &c. libro eodem cap. 23. *Nec dissimili virtute mulier Ermigundis Andegauensis ciuis, vici incola Croniensis, contracta ac caca in hac festiuitate directa illuminatáque discessit.* Quantæ porrò sit auctoritatis in hac materia Gregorius, perspexit Raino, qui Maurilij vitam illi perperam adscribit.

Tu verò quisquis es auctor Apologiæ, vides hîc & fugis Gregorium, qui tacendo loquitur vel ipso clamosior Stentore,

Ὃς τόσον αὐδήσασχ', ὅσον ἄλλοι πεντήκοντα.

§. VI.

SExtò deest testimonium venerabilis Bedæ, qui actæ à Maurilio per septennium in Anglia pœnitentiæ non meminit; meminisse tamen debuit, vti videtur. Anglorum enim gentis non minima laus est, Andegauensem Episcopum pœnitentiam in Anglia eo egisse modo, qui cap. 16. de vita illius narratur: *Transmisso igitur mari, quo quis esset, abscondere potuisset, mutato habitu vni regionis principum adhasit, professus se hortulanum fore, quatenus corpus, quod ieiuniis, vigiliis & orationibus castigare decreuerat, ne ex toto deficere potuisset, proprio labore pauisset. Qui cùm tali proficeret ministerio, tantam copiam eius meritis Dominus oleribus dabat, vt & omnibus quibuscunque necesse fuerat, ex eisdem sufficienter tribueret, & tamen olera nunquam deficerent. Vnde perpluribus placebat, & pene ab omnibus amabatur.* & post alia, de illorum, quos Clerus populúsque Andegauensis ad quærendum per totam Europam Maurilium ablegauerant, aduentu in Angliam. *Vnde factum est, vt Angelico ductu ad domum principis, cum quo Maurilius habitabat, certo itinere ducerentur. Ingressi autem illico vocari Maurilium, vt cum oleribus, quibus rex vti consueuerat, accurreret, audierunt. oculorum ergo aciem in partem, qua illum inclamare audierant, dirigentes, nec mora cum*

oleribus accurrere Maurilium perspexerunt. Quem cùm recognouissent, prostrati pedibus ipsius cum magno fletu rogabant, vt propria subueniret Ecclesia atque ciuitati, quæ eius absentia nihil iam aliud nisi supremum præstolaretur exitium. Ad quorum fletum cùm se negare non posset, obstupefactus cum lacrymis repugnare cœpit obnixiùs dicens: voto me ac iuramento obstrinxi, nunquam me patriam reuersurum, ni claues videre mererer iterum, quas amisi. Quas statim exhibentes, quicquid in mari viderant, & pertulerant, ex ordine referebant. Interea istiusmodi circumquaque negotij fama peruolitat, ipsúmque sollicitat regem. Mirabantur cuncti, & quem vt hortulanum habuerant, nunc vt sanctissimum præsulem venerantes adorant. Hæc autem omnia quin ad Anglorum historiam maximè pertineant, negari non potest. Nulla tamen huius euentus, quo vix vllus alius memorabilior, reperitur apud Bedam mentio.

§. VII.

SEPTIMÒ deest testimonium Vsuardi, qui Carolo magno Imperatore cùm Parisiis scriberet Martyrologium, & variis in eo scribendo veterum Martyrologiorum codicibus vteretur, de Renato tamen nihil scriptum reliquit. De Hilario quidem hæc Vsuardus scripsit 14. Ianuarij: *Pictauis ciuitate natalis S. Hilarij Episcopi & Confessoris, qui ob Catholicam fidem quadriennio apud Phrygiam relegatus, inter alias virtutes fertur, quòd mortuum suscitauerit.* De Martino quoque 11. Nouembris: *In Galliis ciuitate Turonis natalis beati Martini Episcopi & Confessoris, cuius vita tantis extitit miraculis gloriosa, vt trium mortuorum meruerit esse suscitator.* De Maurilio seu Maurilione hæc tantùm ille 13. Septembris: *Andegauis sancti Maurilionis Episcopi & Confessoris*, additurus profectò id de Renati suscitatione miraculum, si suo tempore notum in Gallia fuisset. Sic enim dixisset: Andegauis sancti Maurilionis Episcopi & Confessoris, qui mortuum post septem annos puerum suscitauit. Ioannes Molanus Vsuardo Renatum addere potuit ex iis, quæ modò recensui, vel ex Andegauensium Episcoporum catalogo, quem Burdigneus vel Demochares iuris publici fecit.

Huic vocalissimæ rationi quid reponis? negantem esse, qua nihil concluditur. Itáne verò? Tergiuersaris? Concludo tantùm, ex eo minùs firmam esse Renati historiam, quòd nullum ei natalem Vsuardus adscribat; nota quoque Vsuardo non fuisse, quæ Maurilio tuus ὑποβολιμαῖος Gregorius tradit. Cur enim si nota fuissent illa omnia, quæ tu publicæ ac receptæ traditioni asseris, Vsuardus suo silentio debilitasset? perge modò vt me, sic & Vsuardum Sanctorum hostem appellare? tuas calumnias propter eum, qui sanctorum omnium caput est, patienter sustinebimus.

Enimuerò tute alibi, in tertia videlicet probatione significas Renati cognitionem Vsuardi tempore posteriorem esse. Sic enim scribis: *Vsa sunt autem semper Ecclesiæ Gallicanæ superioribus sæculis Martyrologio Vsuardi, cui singulæ adiecerunt nomina suorum, id est, Diœcesanorum, vel Prouincialium sanctorum, Monachi autem propria suorum ordinum. Ex his facilè eruitur, quinam à maioribus ex omni æuo sancti habiti fuerint.* Hoc illud ipsum est, quod tecùm contendo, & tamen atrocibus oneras me conuitiis.

Ex Vsuardi Martyrologio colligo, quinam ante Carolum magnum cùm in aliis locis, tum in Gallia maximè à maioribus sancti habiti fuerint. Licinium, Albinum, Maurilium Diœcesanos tuos antistites in hoc Martyrologio reperio. Deinde colligo tecum eos à maioribus ante Carolum pro sanctis habitos fuisse. Ego Renatum non reperio, neque tu reperis, cur ergo non colligis mecum, eum à maioribus ante Carolum pro sancto habitum non fuisse?

Vsuardus in suo Martyrologio eos collocare non potuit, qui nondum nati erant, vel quos Ecclesia nondum vindicauerat. Id ab aliis factum est, atque inde postea Vsuardi Martyrologium accreuit. Andegauenses autẽ huic Martyrologio, quo vtebantur, Maurilij vita per Rainonem inuẽta & aucta edocti Renati nomen addiderunt. Ex his verò additionibus orta sunt illa, quæ tu laudas ex Andegauensium Ecclesiarum Martyrologiis. Auctam dico per Rainonem Maurilij vitam, quia ita scribit auctor Vindocinensis Chronici. *Anno*, inquit, DCCCCV. *vita sancti Maurilij inuentio, vel potiùs augmentatio per Rainonem Episcopum, & Archanaldum scriptorem facta est.* Sic igitur res ad originem redacta seipsam quanta est, exhibet, & in omnium

nium

nium conspectum ac lucem committit. *Religionis est instar*, ait Tertullianus, *fidem de temporibus asserere.*

§. VIII.

OCTAVÒ, deest testimonium Martyrologiorum Bedæ, Adonis, Rabani, Vvandelberti, & NOTKERI, apud quos altissimum est de Renato silentium. Vide tamen, quid Ado de sua diligentia proloquatur: *Neputes*, inquit, *me in hoc opere in vacuum laborasse, & rem non necessariam executum fuisse, breuiter tibi causam facti aperiam. Primum fuit imperium ac iussio sanctorum virorum, vt supplerentur dies, qui absque nominibus martyrum in martyrologio (quod venerabilis Flori studio in labore domni Bedæ accreuerat) tantùm notati erant: deinde collecti vndecumque passionum codices animum in tantum suscitauerunt, vt non solùm præteritas dierum festiuitates, verùm & aliorum, qui per totum annum illi notatim positi erant, latiùs & paulò apertiùs describerem, infirmioribus fratribus, & minùs legere valentibus seruiens, ad laudem omnipotentis Dei, vt in memoriis martyrum haberent compendiosam lectionẽ, atque in paruo codicillo, quod multo labore alij per plures codices exquirunt.* Hæc Ado, qui Rainonem Andegauensem Episcopum quadraginta plus minus annis præcessit. Collectos vndecumque passionum codices de iis, quæ Raino cap. 6. & 16. vitæ Maurilij prodit, nihil habuisse verisimillimum est: si quid enim habuissent, cur quæso suis ille tacuisset locis?

Hoc argumentum, quod æqualis cum superiori, immo si tempus spectetur, maioris est ponderis, quomodo confutas? Dissimulatione propositæ in eo veritatis, quam profanus etiam scriptor in Atticis noctibus indissimulabilem appellat. Vbi tua illa gratis decantata traditio, quam ad annum 870. Ado, & ipse Gallus & vir diligentissimus, non agnouit? Inuidisse verò receptæ de Renato traditioni quis te præter somniaretur? Nónne rectè conclusi, traditam ab Rainone Renati historiam ex eo minus habere roboris, quòd Ado Renatum sacris non indiderit monimentis? Quòd autem hic Martyrologus Renatum nosse non potuerit, manifestissimè docet Vindocinense Chronicon, vbi *vita S. Maurilij inuentio, seu potiùs augmentatio per Raino-*

M

nem Episcopum, & Archanaldum scriptorem facta consignatur anno Christi nongentesimo quinto.

§. IX.

NONÒ, deest testimonium Theodulfi Aurelianensis Episcopi, qui aliquando cùm esset Andegaui, carmen pepigit, in quo illustrium tunc Sanctorum huius vrbis tutelarium nomina laudésque continentur. Sic autem se habet lib. 2. Carminum num. 3.

Vrbem vt cum ramis & laudibus imus ad istam,
Celsa poli meritis fac ita adire piis,
Hanc in amore tuo collectam respice plebem,
Suscipe & illius vota, precésque libens.
Ecce sacerdotum turba popularis & ala
Concinit, & laudes sexus vterque tibi.
Quos habet Andegauis venerabilis ambitus vrbis,
Qui pia deuota carmina mente canunt.
Quam Meduana morans fouet, & Liger aureus ornat,
Qua rate cum laui Sarta decora iuuat.
Fruge, ope, nundinis, pulchris & rebus abundans,
Obsita seu sanctis est bene tota locis.
Plebs venit Albini sancta hac de sede beati,
Cum voto & ramis carmina digna ferens.
Illáque Baptista concurrit ab arce Ioannis,
Consocians ramis dicta canora suis.
Nec Martine cohors tua serior alme recurrit,
Fértque manu ramos, mente & ore melos.
Turba Saturnini venit his sociata beati,
Quam crux & rami laus & adornat ouans.
Et Petre cella tuo vocitata è nomine sancto,
Quos quit ad hoc laudum mittere gestit opus.
Sergius & proprios martyr venerandus alumnos
Mittit ad officij gesta beata pij.
His tua Maurili coniungitur alme caterua,
Vt prece, laude, sono sic pia vota canit.
Tardior Auiani non currit turba beati,
Istas vt laudes rex tibi Christe canat.
Plébsque salutifera procurrit ab ade Maria,
Huc quam transmittit pons Meduana tuus.

Plebs quoque Germani venit huc de sede beati,
Præsulis eximij Pontificisque sui.
Scandimus en sanctum Michaëlis ad atria cliuum,
Christe tuus dulcis nos vbi iungit amor.
Quo sua Pontifici iungatur turba benigno,
A capite & membris laus sonet ista Deo.
Hinc pia Mauricij veniamus ad atria sancti,
Quo simul & laudum & vox sonet ista precum.
Illic & titulis nos mater colligat vna,
Qua caput & specimen istius vrbis habet.
Nostra vbi nos prex, & benedictio præsulis ornat
Cum laude, ac mittat ad sua quemque loca.

Hæc ille, qui cùm Carolo & Ludouico Imperatoribus scriberet, vno tantùm sæculo Rainonem antecessit. In hoc autem carmine opportunus erat de Renato canendi locus, cùm de Maurilio, & de sancti Petri æde, in qua Renatum conditum volunt, sermo incidit, & tamen ne altera quidem distichi pars Renato conceditur. Non viderat credo, quæ alios videre iubet Raino sub finem cap. 16. de vita Maurilij: *Quem septiformis Spiritus gratia consecratum ex euentu vocauit Renatum.* & paulò pòst, *Quod si quis fortuitu æstimauerit fabulosum, Andecauësem recurrat ad vrbem. Ibi enim inueniet pretiosissimum confessorem Christi Maurilium immensis virtutibus florentem, & nec minùs Renatum Antistitem successorem ipsius miraculis coruscantem.* Theodulfus cùm Andegaui versaretur, inuenit quidem Maurilium, quem suis versibus prædicaret, sed non inuenit Renatum, quem pari modo prædicaret. Nondum certè venerat tempus, quo inueniretur, & inuentus prædicaretur. Nondum Andegaui fortè visebantur, quæ hodie visuntur. Sic Eusebij, Ariminensis Concilij, Ambrosij & Hieronymi tempore nondum monstrabatur Romæ lauacrum, vbi tinctus fuisset Constantinus; quippe qui sub vitæ finem Nicomediæ tinctus crederetur. Sed postea quàm voluerunt alij Constantinum fuisse Romę baptizatum, tunc ibi cœptum est monstrari lauacrum, in quo baptismum acceperat.

Quod argumentum non assequeris, vir in disputando fortis ac torosus dilaceras. Hæc est autem argumenti mei vis, hic scopus. Si quo tempore Theodulfus exul Andega-

ui degeret, quæ in Maurilij vita cap. 16. de Maurilio & Renato dicuntur, publicis omnium vulgata essent sermonibus, opportunam istud saltem obiter in carmine memorandi occasionem nactum illum esse credidi: non quòd Renatus Ecclesiam, à qua procederetur in aliam, haberet, sed quòd haberet Maurilius, quicum vel in eiusdem Maurilij vita, vel in Andegauensibus sigillis Renatus coniungitur, vel quòd Petrus Apostolus suam quoque haberet Ecclesiam, in qua conditum fuisse Renatum ac miraculis claruisse volunt. Quæ duo cùm affirment ita esse, Maurilius & Renatus, vel Petrus & Renatus vnico versiculo, aut eius parte coniungi facilè potuerunt, & nî forte dicam, vt coniungerentur, certo quodam modo postulârunt. Vt autem hac posita coniunctione, quæ & commodè & meritò fieri potuit, Renatus locupletissimum sui testem sortitur, sic & non positâ, locupletissimo sui teste caret, ex eóque, quòd reipsa careat, Renati historiam minus habere virium asserui. Ecquis hoc neget vnquam? Attamen vt ista lux non affulgeat, quid tum demum agitas? Quæ ne cogitaui quidem affingis, argumentum meum inobscuras, súsque déque vertis, torques, retorques, sed tortum stabit torquente te fortius, & si capiatur, caperis & fatiscis.

§. X.

DECIMÒ, deest testimonium Romanæ Ecclesiæ, quæ nec in vetere nec in recentiori martyrologio vllum Renato natale adscribit. Quinetiam cùm aliquando pro ædicula vel festo Renati ab Oratorij Gallicani presbyteris Romæ consistentibus peteretur indulgentia, eam tunc illis negatam fuisse constat. Sed ne vana foret petitio, indulgentia pro festo beati Petri concessa est. Et reuera hodiéque viuunt, qui hoc luculenter testari possent. Cur autem pro beati Renati festo vel ædicula indulgentiam Romani negauerint, suspicari non est admodum difficile. Quicquid id est, abnutiuum, quod inde quæreretur, argumentum spernendæ non esset auctoritatis, etiam apud eos, qui Dialecticorum scholas frequentant.

Ad vtrumque Romanum martyrologium cùm venitur, tu multò magis mutus es, quàm piscis ille, qui lapsas in

Oceanum è manibus aut pera Maurilij claues reliquiarum deglutiuit. Sed quod de indulgentiis attexui, impostura damnas alibi, nec tamen Oratorij presbyteros petitas eo, quo animaduerti, nomine indulgentias consecutos esse probas. At si quod in hac re dixi, certum est, vti reuera certum est, imposturæ reus egóne an tu? viderint alij.

Pro confraternitate, inquis, sancti Renati Leo decimus, & Clemens septimus dederunt indulgentias. Sed eas suppositionis conuicimus: Tam veras si vis dederint, quàm Paulus V. & Vrbanus VIII. eas stilo curiæ *prout exponitur* dederunt. *In his autem* (diceret Baronius ad annum 604.) *quæ rerum gestarum veritatem spectant, quàm frequenter accidit, falli etiam prudentissimos, non antiquis tantummodo, sed & in his, quæ facta esse dicuntur in eodem loco, quo ipsi sunt, & quo viuunt tempore. Ob idque nihil est, vt quantauis sanctitate, siue sanctitatis, siue doctrinæ cuiuslibet prærogatiua viri, quod non factum sit vnquam, vt factum asserentis, ipsi veritati possit præiudicium inferre. Cùm in his quæ sunt facti, non dogmatis potuerit quisque sanctissimus atque doctissimus fidei orthodoxæ professor, atque defensor aliquando falli. Nec enim eminentia alicuius viri efficere potest, vt quod mendacium est, veritas sit, & quod perinde ac verum ab eo falsum assertum est, recipiatur ab omnibus.*

§. XI.

VNDECIMÒ, deest testimonium Auxilij, qui vt Formosi ex Portuensi Ecclesia in Romanam traducti, ob ídque adulterio accusati causam defenderet, peculiarem de translationibus Episcoporum libellum edidit, & Leoni Nolano præsuli dicauit. In hoc autem libello quas nouerat translationes Episcoporum commemorat; sed cùm nihil dicat de Renato, qui ex Andegauensi sede transierit ad Surrentinam, certissimum est indicium, hanc translationem, quæ modò in veterem & publicam Ecclesiæ traditionem transcribitur, ad annum 909. Italis, vel certè Romanis incognitam fuisse. Porro huius translationis cognitio antiquis & pluribus inaudita sæculis reseruabatur iis inter recentiores scriptoribus, qui Renato patrem Honoratum Cheotedrum, & matrem Bononiam dederunt.

§. XII.

DVODECIMÒ, deest huic translationi testimonium Andegauensium martyrologiorum, quæ cap. 3. Apologiæ pro sancto Renato producuntur. Sic enim in iis martyrologiis habetur: *Secundo Idus Nouembris: Andegauis ciuitate depositio sancti Renati Episcopi & Confessoris*, quæ verba ex vsu martyrologiorum significant, Renatum in ea vrbe mortalitatis sarcinam deposuisse, & cùm deponeret, ibidem Episcopatum gessisse. At verò si Renatus ex Andegauensi Ecclesia fuisset ad Surrentinam translatus, & in ea, vt volunt, migrasset, ex vsu martyrologiorum diceretur: *Surrenti depositio seu natalis sancti Renati Episcopi & Confessoris.* Nam præsules, qui quondam ab vna sede ad alteram migrarent, postquam immigrarant, prioris sedis nomine deposito, posterioris nomen adsciuêre, & cùm positi sunt in martyrologiis, positos esse vt posterioris sedis antistites constat. Sic in martyrologio Romano de Proclo, qui ex vrbe Cyzico traductus est Constantinopolim: *Constantinopoli* (natalis) *sancti Procli Episcopi.* Sic de Siluano, qui Philippopoli Thraciæ Troadem translatus est: *Troada in Phrygia sancti Siluani Episcopi miraculis clari.* Sic de Gregorio, qui primùm Sasimorum vrbis Cappadociæ Episcopatum gessit, deinde Ecclesiæ Nazianzenæ præsul factus est: *Nazianzi natalis beati Gregorij Episcopi ob singularem diuinarum rerum doctrinam cognomento Theologi.* Quare qui Rainonem secutus Renatum Andegauensibus martyrologiis addidit, eum ex Andegauensi Ecclesia fuisse ad Surrentinam traductum non credidit, vel si credidit, aduersus Ecclesiasticam martyrologiorum traditionem & rei gestæ veritatem posuit in his martyrologiis, *Andegauis depositio sancti Renati Episcopi & Confessoris.*

§. XIII.

DECIMÒTERTIÒ, bona cum venia dixerim, in Rainone deest testimonium sinceritatis. nam Raino supposita Gregorij Turonensis persona, sancti Maurilij vitam instaurauit ipse, vel ab aliis instaurari curauit: quod priori Dissertatione demonstratum est.

Talis sim, quem me deformas, si queror de tua ad hoc argumentum responsione, quam in loco & suo & non suo summa cum iudicij acrimonia dedisti. Est autem eiusmodi: *Fallitur sæpe, sed semper fallit Launoius. Hic verò dum fallit fallitur, fallit cùm scribit, tum hîc tum in secunda Dissertatione, sententiam sancti Gregorij magni, de qua in hac obiectione queritur, non reperiri, siue desiderari in illo exemplari, quo aduersus sanctum Renatum vtitur, id est, quod ab Ægidio Menagio beneficio Claudij Menardi accepit: atque hoc dicit, vt eleuet fidem manuscriptorum aliorum, in quibus ea disertè habetur. At manifestæ fraudis conuincitur, cùm æquè habeatur sententia illa in codice Menardi, vnde Menagianum exemplar desumptum est, atque in aliis duobus, vt iis inter se collatis obseruauimus. Itaque quantumuis reluctetur* (Launoius) *fateatur oportet, eandem sententiam in tribus antiquissimis libris manuscriptis probæ fidei reperiri, quem consensum pro lege habere debet, cùm ex oraculo Christi, in ore duorum vel trium stet omne verbum. Quibus adiungimus testimonium Mombritij, apud quem tomo 2. eadem sententia legitur in vita sancti Maurilij. Fallitur autem & quidem à seipso bonus Doctor, cùm ex eo quod in vita sancti Maurilij laudetur dicta sententia Gregorij magni, infert eiusdem vitæ Gregorium Turonẽsem non posse esse auctorem.* Non falleris tu scriptorum omnium accuratissime, sed fallitur bonus Doctor, cùm id asserit, quod asserentem, & verè asserentem inducis. Fallitur, inquam, cùm ait Gregorium non posse esse auctorem dicatæ Germano Parisiensi Maurilij vitæ, in qua cùm anno 577. vel 579. Germanus obierit, Gregorius Papa tredecim vel certè vndecim annos antè laudatur, quàm Papa crearetur, & huius homiliæ sexdecim, vel quatuordecim annos antè citantur, quàm tuo calculo compositæ omnes forent. Hac ratione fallitur, & fallit Launoius.

Sed reuertamur ad Rainonem, in quo, vt apparet, sinceritatem non immeritò desideramus. Hoc autem tua responsione consecutus es, vt Raino, qui mihi testis esse non poterat, tibi esse poterat, nec tibi deinceps, nec mihi æternùm esse possit. Quod validissimè confirmatur ex his Vindocinensis Chronici verbis: *anno* DCCCCV. *vita sancti Maurilij inuentio, seu potiùs augmentatio per Rainonem Episcopum,*

& Archanaldum scriptorem facta est. Igitur non malè coniecceram, dum in priori Dissertatione Rainonem vitæ Maurilij interpolatorem vocaui, qui ne argueretur, idonea sibi visus est præfatione cauisse, dum alios sic arguit: *sed nos recolentes, si id egerimus* (si deprauatam scriptorum vitiis Maurilij vitam correxerimus) *perfidorum nos latratibus atque morsibus, qui doctrinam quærere nesciunt, sed inuidere, dilaniari, duplicis tadij mœrore concutimur, dum & vestris parere iussionibus cupimus, ipsisque displicere metuimus.* His ille sub Gregorij Turonici nomine verbis Germanum Parisiensem affatur.

§. XIV.

DECIMOQVARTÒ, deest aliqua ex parte testimonium Marbodi Redonensis Episcopi, qui de Renati Pontificio verbum nullum facit, postquam caput decimum sextum vitæ Maurilij centum & viginti quatuor versibus decantauit. Hîc non repeto, quod obseruatione quinta animaduerti. Sed profectò momenti est alicuius ista Marbodi ab Rainone dissensio, quanquam cetera, quæ Marbodus scripsit, cùm de seipsis, quæ palam loquuntur, tum de censu Rainonis, déque origine prima æstimanda esse puto.

Quæ obseruamus de Marbodi testimonio non examinas, quia non potes: Marbodum & Rainonem inconciliatos deseris, quia inimicum veritatis dissidium tollere non potes. Non sunt opinor maiores omni exceptione testes, qui ea de re, scilicet de Renati Pontificio dissentiunt inter se. Tam posset sanctus Albinus, qui de Renati Episcopatu scriptum nihil reliquit, quàm Marbodus pro eodem in testem adduci.

§. XV.

DECIMOQVINTÒ, deest testimonium Harmeri, qui post Rainonem nonnulla Maurilij scripsit miracula, quæ Deus in illius translatione patrauit. Harmeri quippe testimonium vtile sine dubio esset ad ea confirmanda, quæ Raino sub finem cap. 16. de vita Maurilij sic tradit: *Qui* (Renatus) *diuinis cultibus illico mancipatus, & à beato Maurilio dili-*

gentius eruditus tantis promeruit florere virtutibus, vt post Maurilium Pontificalem Andecauensis Ecclesiæ cathedram & posthumus sortiretur & hæres. Quod si quis fortuitu æstimauerit fabulosum, Andecauensem recurrat ad vrbem. Ibi enim inueniet pretiosissimum Confessorem Christi Maurilium immensis virtutibus florentẽ, & nec minùs Renatum antistitem successorem ipsius, miraculis coruscantem. Harmerus autem ne vnum quidem de Renato verbum facit, tantùm abest, vt eum cum beato Maurilio miraculis coruscantem describat. Id tamen præstandi, si præstari potuit, non defuit occasio. cùm & Maurilij reliquias ad ædem Mauricij translatas, & omnem translationis apparatum, & patratas virtutes recenset. Quinetiam opportuna tunc fuisset Renati translatio, quæ Rainonis narrationi fidem conciliaret ampliorem. Istud vltro postulare Raino videbatur his verbis: *Quod si quis fortuitu fabulosum æstimauerit.*

Huius argumenti caput & pedem amputas, & totius corporis compagem soluis in responsione ad obseruationem tertiam, vbi abscissum ex hoc corpore membrum sic illudis: *Dicit igitur Launoius, in hac translatione non defuisse occasionem loquendi de Renato, quod cùm non fecerit Harmerus, inde vult inferri, vera non esse, quæ de illo prædicantur:* sic cruentata ratiocinationis meæ complexione in auia & absurda quæque me præcipitas, debaccharis, execrationes seris, & in arenam furentis Circi tractum violatæ religionis accusas, quod est perpetuum tuarum responsionum ornamentum & vnica defensio. Sed deartuatum his technis argumentum integritati restitue, tum responde si possis, aut vocem comprime indicem debilitatis tuæ. Nouerat Harmerus Rainonem Maurilij vitæ vim intulisse, quam suo confirmare testimonio religioni habuit.

§. XVI.

DECIMOSEXTÒ, deest testimonium alicuius in vrbe vel in pago Andegauensi Ecclesiæ seu parœciæ, quam ante Rainonis tempus fideles Renato nuncuparint. Si superioribus sæculis nota fuissent omnia, quæ Raino tradidit, cur tandem vt Maurilius, vel Albinus, Licinius, vel Magnobodus Andegauenses Episcopi, sic & Renatus titulum Ec-

clesiæ cuiuspiam ac patrocinium non vindicasset sibi? Ante Rainonis tempus dico, quia post illud fieri sanè potuit, vt primo cuiusdam Ecclesiæ patrono Renatus alter accederet; vel illi ædicula, quam Capellam vocant, recèns ædificata dedicaretur.

Hæc ratio duas habet partes, quarum prior continet telum, quod, si quid in istis rebus intelligo, amentatum est. Illud autem alibi conaris repellere, ne si hoc loco & suo repellere conareris neutiquam repulsum videretur. In tertia probatione apologiæ post descriptum Chiccarelli testimonium, quod nos quoque inter tua historiæ Renati documenta retulimus, & obseruatione 15. dispunximus, subiicis: *Huius documenti serie apparet, Neapoli oratorium, seu Capellam sancti Renati memoria dicatam extitisse anno salutis 763. trecentis circiter annis post obitum sancti Renati, ducentis & amplius annis ante Pontificatum Rainonis Episcopi Andegauensis. Nam eius Episcopatum gerentis acta habemus in Chartophylacio Ecclesiæ nostræ de annis 892. & 896. At si anno salutis 763. stabat oratorium sancti Renati, multis antè annis conditum fuisse necesse est. Apertè igitur conuincitur temeritas vel impostura Doctoris nostri φιλοψευδοῦς, qui in posteriori Dissertatione ad coarguendam falsitatis historiam sancti Renati supposuit, ante Rainonis tempus nullam fuisse Ecclesiam, aut Capellam sancto Renato nuncupatam.* Hæc ad propositum quæso te quid attinent? extra chorum vagaris: aberras à scopo, quem tibi tam clarè proposui; nisi fortè quæ tua est solertia, dicatum Renato Neapoli oratorium idem esse, atque dicatam Renato in vrbe, vel in pago Andegauensi Ecclesiam putes: Quod si contrà censeas, hac insigni deliratione meam aduersus tua machinamenta rationem defendis. Etenim cùm nulla vel in vrbe, vel in pago Andegauensi Renato dicata ante Rainonis tempus occurrat Ecclesia, seu parœcia, quæ opponatur, inde Neapolim conuolas quæsiturus, quod apud Andegauenses tuos inuenire non possis. Sed quid tandem Neapoli reportes Andegauum, expende? monimentum reportas ementitæ antiquitatis. Porro obseruatione 15. subuersum est, quicquid illi malè materiato & ruinoso Chiccarelli fundamento superstruitur. Vides opinor, quid tibi causæ sit, cur Doctoris temeritatem vel imposturam arguas. de calumnia damnan-

dus est, qui non probat, quod petit. Vtrum verò in hac materia φιλοψευδὴς ego sim, an tu, qui nostra vtriusque opera perlegent, nullo negotio iudicabunt.

Nunc igitur gratulor tibi, quòd priorem rationis meæ partem ita confirmaueris, vt de illius veritate locus ambigendi nullus supersit. Sed de confirmata posteriori parte tibi gratulari non possum. Credebam enim à tempore Rainonis multò plures, quàm retuleris in tertia probatione, ædiculas Renato dicatas fuisse. Tres speciatim nominas, quarum duæ saltem institutæ sunt post tempus, quo à Cardinalibus 14. pro Capella sancti Renati, & à duobus Pontificibus Leone X. & Clemente VII. pro Confraternitate S. Renati concessæ sunt indulgentiæ. Deinde suspicabar, ab eo tempore Renatum alterum alicuius Ecclesiæ, seu Parœciæ patronum factum esse, mutatóque priori titulo posteriorem solùm in vsu retentum. Cuius rei exempla passim occurrunt. quæ Ecclesia Parisiis olim Sanctorum Apostolorum dicta est, nunc sanctæ Genouefæ dicitur: quæ olim sancti Vincentij, nunc sancti Germani: quæ Andegaui quondam sancti Saturnini, nunc Magnobodi nuncupatur. Sed vt falsum esse me putem tua facit diligentia. Nullam enim ex vrbe collegiatam Ecclesiam, nullam ex pago laudas parœciam, quæ priorem titulum sic mutarit. Quod diuina factum esse prouidentia, firmiter mihi persuadeo.

§. XVII.

DECIMOSEPTIMÒ, deest testimonium melioris sæculi, quā quo S. Maurilij vita reconcinnata est. Ad illud enim sæculum maximè pertinet, quod Papirius Massonus obseruat in Historia calamitatum Galliæ: *Vtrum autem*, inquit, *credere antiquioribus historicis oporteat potiùs, quàm recentioribus, id dubitationem nullam habet. Etenim historiarum scriptores, qui propiores sunt tempori rerum gestarum, veriores debent videri. Nondum enim mendaciis, fabulisque anilibus, quas per otium vulgus fingit, locus esse potest; quibus fidem adfert apud posteros sola diuturnitas, lapsúsque temporis, non modò profana, sed sacra etiam inficiens. Nec enim permiscentur vitis Sanctorum pauciores fabulæ, quàm alibi, quia pars earum multis pòst sæculis ab imperitis scri-*

pta est, ex quotidianis vulgi sermonibus, sæpe delirantis, sempérque aliquid adiicientis de suo. Hæc multiiugæ lectionis acerrimíque iudicij scriptor, cui fidem præstat certissimam æqualis Marbodi Guibertus Abbas de Nouigento libro I. de Sanctis & eorum pignoribus: *Certè, inquit, cùm plures Sanctis suis summas antiquitates attribuant, moderno tempore eorum scribi vitas expostulant. Quod à me profectò sæpe petitum est. Ego autem in iis, quæ obtutibus subiacent, fallor, & de iis, quæ nemo viderit, quid veri profitear? si dicerem quæ dici audiui, etiam sum rogatus, vt super laude horum tam ignobilium dicerem, quin etiam ad populum declamarem: & ego, si quæsita dicerem, & illi, qui talia suggerebant dicere, publico pariter cauterio digni essent:* & cetera id genus quamplurima, huic instituto conuenientia, quæ breuitatis amans prætermitto. Guiberti liber est manuscriptus in Bibliotheca Regia. Cardinalis Damianus, qui Rainonem inter & Guibertum fere medius vixit, cùm apprimè nouisset sæculi vitium, præfationem vitæ sancti Mauri Cæsenatis Episcopi sic concludit: *Nonnulli se Deo deferre existimant, si ad deferenda laudis eius insignia, falsitatis argumenta componant, qui nimirum si egregij prædicatoris verba diligenter attenderent, talia non sentirent. Ait enim Corinthiis, Si Christus non resurrexerit, inanis ergo est prædicatio nostra, vana est fides vestra. Inuenimur autem & falsi testes Dei, quoniam testimonium diximus aduersus Deum, quòd suscitauerit Christum, quem non suscitauit. Secundùm hæc ergo Apostolica verba falsus testis Dei meritò dicitur, qui indiscretè eum cupiens laudare mentitur, & aduersus Deum procul dubio perhibet testimonium, quisquis in eius laude peruersa molitur arte commentum.* & post pauca. *Hinc est quod per Hieremiam de mendacibus dicitur, Docuerunt linguas suas loqui mendacium, vt iniquè agerent laborauerunt. Qui enim simplicem veritatem vltro oblatam proferre facilè poterant, satagunt, vt mendacia cum labore confingant.* & post alia: *Hic autem vbi de beati viri virtutibus pauca, quæ scribi debeant, præsto sunt, vtilius arbitramur ad ædificationem audientium, ad quam omnis Ecclesiastica intendit scriptura, in procemio contra mendacium scribere, quàm pro narrationis inopia, ipsam historiam mendaciorum finibus protelare.* Eadem ferme præfatione vtitur in

vita sancti Romualdi, & Dominici Loricati. Ex his autem nihil præiudico, sed id, quod res est, satis habeo proponere.

Hîc transfixum Damiani ferro pectus tuum cùm sentias, curare, quàm loqui mauis : sed timendum est, ne si te tanquam medico vtaris Acesia, Chironium fiat vulnus, quod nulla vel arte, vel manu leuetur. Hoc vulneris genere afflictum non persequor : scripturam audio dicentem: *Nolo mortem peccatoris.*

§. XVIII.

DECIMOOCTAVÒ, deest testimonium Metropolis & præcipuarum illius Ecclesiarum. Nam in Turonensi Calendario, quod in Ecclesiæ manuali editum est anno 1570. commemoratio fit aliqua Maurilij, sed Renati nulla. In Redonensi Calendario, quod in Ecclesiæ Manuali editum est anno 1557. legitur Maurilius, non legitur Renatus. In Venetensi Calendario, quod in Ecclesiæ Manuali editum est anno 1596. reperitur Maurilius, non reperitur Renatus. In Briocensi Calendario, quod in Ecclesiæ Manuali editum est anno 1506. & in alio quod in Missali editum est anno 1543. celebratur Maurilius, sed Renatus non celebratur. Cur autem ita se res habeat, mirum videri posset ei, qui hæc peruolutaret calendaria, & quædam ex iis cum Renato nostro contenderet. De veteribus aliarum huius prouinciæ Ecclesiarum calendariis, quæ non vidi, nihil pronuntio, tametsi liceat ex iis eandem fieri coniecturam. Porro in his quæ deesse notamus, testimoniis locum habet ista iuris regula : *quæ non prosunt singula, multa iuuant.*

Hîc non possum non laudare calliditatem, qua momentum istud transilis, ne si moueres aliquid, nos remouerèmus fidem instrumenti, quo ab Rainonis tempore multiplicem factam esse Renati translationem proponis. Et reuera mirari subit, cur Angebaudus Turonensis, Alanus Redonẽsis, Roaldus Venetensis, qui cum aliis prouinciæ Episcopis sancti Renati corpus reuelarunt, vt loquuntur, Renatum aliqua in suis fastis & Calendariis memoria non donarint. Hoc tum res ipsa suis expensa rationibus exegit, tum maximè suborta in dies de Renati corpore dubitatio, quam ex-

hibitum à te instrumentum sic attestatur. *Tandem elapsa cursu temporis memoria hominum, & SOLITA dubitatione suborta, reuisum fuit denuo corpus pretiosissimum beati Renati anno ab Incarnatione Domini 1255.* Ex quo perspicis, festi duplicis vel semiduplicis, vel certè simplicis institutionem, quam memorati præsules in suis fecissent Ecclesiis, ad tollendam illam dubitationem nonnihil profuisse. Quod cùm factum non fuerit, iure concludo, minùs firmam ex eo videri Renati historiam, quòd ei desit testimonium metropolis & præcipuarum illius Ecclesiarum. Quo etiam ex capite apparet, recentem esse, aut sanè non iuxtà veterem Renati memoriam, atque Ecclesiæ S. Martini Turonensis turrim, subter quam hæc memoria monstratur. opus est recens alicuius canonici, cui nomen erat Renatus. Tu verò sartum, tectúmque serua instrumentum, quod pari cum quatuordecim Cardinalium Leonis X. & Clementis VII. literis Indulgentiarum fide confectum esse reor.

§. XIX.

DECIMONONÒ, deest testimonium ipsius Renati vitæ, quam quis non dicam ante Rainonis æuum, sed ante ducentos abhinc annos seorsim ab actis Maurilij ediderit.

Hîc cùm sancti Renati vitam, quæ ante ducentos abhinc annos seorsim ab actis Maurilij edita fuerit, non adferas, consentis nullam adferri posse, cùm nulla sit omnino, quæ adferatur. Exeunte superiori sæculo vixit Franciscus Belleforestus, qui peculiarem S. Renati vitam primus ex tuis opinor manuscriptis codicibus Gallicè scripsit. Sed hæc vita quantæ sit auctoritatis, illa facilè per seipsam declarat. Aut hoc momentum fortiter impugnare debes, aut retractare, quæ de contestata & publica per omnes annos ab excessu Maurilij consequentes Renati traditione & historia passim venditas in apologia. Quo enim exemplo docebis vnquam nullum ante ducentos annos scriptum esse peculiare sancti cuiusdam viri elogium, qui cùm suscitationis à morte, tum sanctitatis opinione, & administratæ Ecclesiæ laude totum orbem impleuerit.

Scio quosdam esse Andegauensium Episcoporum indices, in quibus Maurilio Renatus proximè subiicitur. Sed illi non

ſunt admodum antiqui. Nam poſt Rainonis ætatem confecti ſunt illi omnes indices, qui Andegauenſium Antiſtitum ordinem ac numerum repræſentant. Immo credibile eſt ex iis, quæ iam notauimus, eo tempore, quo Marbodus ageret Andegaui, nullum extitiſſe adhuc huius vrbis Epiſcoporum catalogum, in quo Renatus contineretur. Porro catalogi ſeu indices rerum aut perſonarum id monimentorum genus eſt, cui pro librariorum ſtudio & ſcientia nunc addi, nunc detrahi conſueuit. Quare ſi quibus in monimentis, certè in iſtis ſpectanda eſt ætas, in qua deſcribuntur. In exemplum ſint ipſimet Andegauenſium Epiſcoporum indices, quos editos vel ineditos, ſeu MMSS. vidi. Inter editos enim Ioannes Burdigneus in Chronicis, & Ioannes Salmonius Theologus Andegauenſis apud Democharem Rainonem faciunt trigeſimum ſecundum; Ioannes Chenutius, & Ioannes Hiretus, trigeſimum primum, Iacobus Seuertius trigeſimum tertium, Claudius Robertus trigeſimum quintum. Inter ineditos verò alij Rainonem tradunt trigeſimum ſecundum, alij trigeſimum quartum, alij tandem trigeſimum ſextum, à quibus præter Seuertium omnibus diſſentit Raino ipſe poſt Elenchum capitum vitæ Maurilij, *Raino*, inquit, *quondam ſancti Martini cotidianus diſcipulus, & ſemper canonicus, ac poſtmodum ſanctæ Andecauenſis Eccleſiæ ex initio Chriſtianitatis trigeſimus tertius humilis Epiſcopus*. Præterea vt indices nonnulli diſſentiunt in numero, ita & in perſonis, quæ numerantur, diſſentiunt. Editi quippe apud Chenutium, Seuertium & Robertum indices Maurilio ἀμέσως ſubiiciunt Neſingum, quem ibi nec editus apud Burdigneum, Democharem, & Hiretum, nec alij tres inediti ſeu MMSS. repræſentant, ſed poſt annum milleſimum reiiciunt. In ſumma indices editi vel MMSS. omnes, quorum meminimus, poſt Rainonis ætatem confecti ſunt, nec eam habent fidem, quam Rainone vetuſtiores haberent.

In tertia probatione tua, quæ hîc de variis Andegauenſium Epiſcoporum indicibus admoneo, repetis, & noſtrum de illis iudicium tuo more diſſimulas, quia ſanum habes nihil, quod opponatur.

§. XX.

VIGESIMÒ, in apologia pro Renato desunt illustrium auctorum testimonia, quibus quæ partem historiæ faciunt maximam comprobentur: scilicet Maurilium ab Ecclesia & vrbe clàm se subduxisse: reliquiarum claues secum asportasse: fuisse, qui in litore maris saxo incideret, *hac transiit Maurilius Andegauensis Episcopus:* impellente diabolo, reliquiarum claues in Oceanum lapsas esse: ex amissione clauium Maurilium perpetuo se damnasse exilio, nisi tandem aliquando claues recuperaret: in Britannia totos septem annos hortulanum egisse: Clerum populúmque Andegauensem de quærendo per vniuersam Europam Episcopo consilium iniisse, quatuor illustres elegisse viros, qui quærerent, nec antè redirent, quàm inueniretur: deuoratas fuisse claues ab vno pisce, qui post septennium insiluit in nauem legatorum Andegauensium, qui soluerunt in Angliam Maurilium indagaturi: hoc exenterato pisce repertas fuisse in illius iecore claues, quas secum Maurilius asportarat. Hæc autem sicut suscitatio pueri, Renati nuncupatio ex euentu, & in Andegauensis Ecclesiæ ducem cooptatio pari fide & auctoritate narrantur ab eo, qui post Magnobodum Maurilij vitam inuenit, auxítque.

§. XXI.

VIGESIMOPRIMÒ, in apologia pro Renato desunt testimonia præcipuarum Europæ vrbiū, quas quærendi præsulis gratia legati Andegauenses adierunt. Etenim admodum credibile est, hos legatos, vt suam clero populóque Andegauensi probarent diligentiam, ab vrbibus tabulas, in quibus illarum responsa continerentur, accepisse. Sed auctor apologiæ cùm ne vnam quidem ex illis tabulis referat, quin ex eo minùs firma videatur Renati historia, dubitari non potest. Vel igitur suam accuset negligentiam, vel aliquod caussetur incendium, quod tantam tabularum copiam absumpserit, quantam legati à peragratis septem annorum spatio illustrioribus oppidis Europæ acceperunt.

§. XXII.

§. XXII.

VIGESIMOSECVNDO, deest testimonium veritatis in diplomate, quo quatuordecim Cardinales Romæ constituti Capellæ Sanctorum Iacobi & Philippi, ac sancti Renati Indulgentias concedunt : In Bulla quoque Leonis X. ac Clementis VII. qua vterque Pontifex pro sancti Renati confraternitate Indulgentias largitur. atque illud veritatis testimonium non magis deesse potest, quàm desit.

§. XXIII.

VIGESIMOTERTIO, deest testimonium integræ fidei in ceteris, quæ & ab auctore apologiæ & à Belleforesto ex Andegauensis Ecclesiæ archiuo eruta sunt, monimentis. Huc spectant omnes Ecclesiasticæ, & ciuiles leges, quibus causa cadunt, qui vel falsa monimenta componunt, vel falsis vtuntur. *Hominum perfidorum confessione vel opere sæpe triumphat gloria veritatis*, ait Victor Capuanus.

§. XXIV.

VIGESIMOQVARTO, deest testimonium antiquitatis & consensionis inter ea monimenta, quæ ad Surrentinensis Renati historiam pertinent. Vt consensio inter testes veritatis, sic & dissensio falsitatis indicium esse solet. In hac autem, quam tractamus, materia testes omni exceptione maiores esse debent. Antiquum de rebus antiquis cùm deest testimonium, illustrissimus Ecclesiasticorum annalium conditor sic pronuntiat : *Quod à recentiore auctore de rebus adeo antiquis sine alicuius vetustioris auctoritate profertur, contemnitur.*

§. XXV.

POSTREMO, deest testimonium vel vnius illustris inter veteres auctoris, qui tot elinguium Martyrologiorum & Scriptorum, quot retuli, voces supplere, atque inflatis, & vt ita dicam, crepantibus buccis edicere possit, quæ

ab Rainone de Renato in Maurilij vita traduntur. Suum tamen est aliquando mutorum suffragium, sed quo tempore loquantur, pronuntiare, haud omnium, sed sapientium tantùm, & cordatorum hominum est.

Hîc ex vniuerso grege scriptorum, qui ante Rainonis ætatem per diuersas Christiani orbis partes floruerint, nullum obiicis, qui totam Renati historiam loquatur. scilicet credendum tibi est, antiquam occlamitanti traditionem, cuius ne vnum quidem inter antiquos idoneum testem exhibeas.

Hîc autem refero libenter istud post apologiam epicitharisma: *Cetera*, inquit, *quæ in posteriori Dissertatione congerit Launoius, repetitiones antedictorum sunt, & mera quisquiliarum retrimenta, quæ scopis velut sordes euerri, & foras proiici magis æquum est, quàm vllo examine attrectari.*

Igitur obseruatio, qua notatur, hunc vel illum, qui Sanctus dicitur, in Ecclesiæ Romanæ, Bedæ, Vsuardi, Adonis, Rabani, Vvandelberti & Notkeri martyrologio non inueniri, *merum quisquiliarum retrimentum est, quod scopis velut sordes euerri & foras proiici magis æquum est, quàm vllo examine attrectari.*

Igitur obseruatio, qua notatur, nullam in vrbe vel in pago Andegauensi Ecclesiam esse, seu parœciam, quæ ante Rainonis tempus Renato dedicetur conuenienter instituto Christianorum, qui primis & illustrioribus sanctis Episcopis basilicas semper consecrarunt, *merum quisquiliarum retrimentum est, quod scopis velut sordes euerri, & foras proiici magis æquum est, quàm vllo examine attrectari.*

Igitur obseruatio, qua ex beato Damiano notatur, contra Paulum Apostolum peccare, qui ad deferenda laudis Dei insignia, falsitatis argumenta componit, & falsum testem Dei meritò dici, qui eum laudare cupiens mentitur, *merum quisquiliarum retrimentum est, quod scopis velut sordes euerri, & foras proiici magis æquum est, quàm vllo examine attrectari.* & sic de reliquis. Verùm postea quod Christianis & bonis omnibus non potest non probari, vehementer improbas, & acerbissimam & te solo dignam scribis declamationem in hęc verba: ergo ea super re tota exspecto iudicium cùm Ecclesiæ, tum Henrici Arnaldi Ande-

gauenſis Epiſcopi, à quo tanquam à viro docto, ſapienti & probo doceri ſemper maximi ducam. Quibus ego verbis me nihil pronuntiare profiteor, & opuſculum meum iudicio cùm Eccleſiæ, tum Andegauenſis Epiſcopi ſummitto. In hoc autem quid mali? quid cauſæ? cur per omnes apologiæ paginas in me debaccheris? Tibi ſine dubio reus eſt beatus Bernardus, qui ſcriptam ad Lugdunenſes canonicos de Conceptione Virginis Epiſtolam, ſic concludit: *Verùm apud ſapientes atque in famoſa nobilique Eccleſia, & cuius ſpecialiter filius ſum, ſuperſtitione deprehenſa, neſcio, an ſine graui offenſa etiam veſtri omnium diſſimulare potuerim. Quæ autem dixi, abſque præiudicio ſanè dicta ſint, ſaniùs ſapientis, Romanæ præſertim Eccleſiæ auctoritati atque examini, totum hoc, ſicut & cetera, quæ eiuſmodi ſunt, vniuerſa reſeruo, ipſius ſi quid aliter ſapio, paratus iudicio emendare.* Quod beatus Bernardus dixit, ego illud ipſum dico. Quinetiam mea eſſe volo verba omnia quibus ille vſus eſt. Deinde quid de tota Renati hiſtoria differerem, ſic adiicio:

Ceterùm, ſi quæ Renati hiſtoriæ deſunt, haberentur, quin illa certior foret, neminem dubitaturum opinor. Sed quod ne Momus quidē reprehenderet, tu per contumelias, probra, omnémque muliebris linguæ laſciuiam reprehendis. Quis enim dubitat, certiorem fore Renati hiſtoriam, quàm ſit, ſi qua huius hiſtoriæ mentio fieret apud Seuerum in vita ſancti Martini, vel in hiſtoria ſacra, vel in aliis operibus: apud Fortunatum in poëmatibus: apud Gregorium in hiſtoria Francorum, vel in libro de vitis Patrum, vel in libro de gloria Confeſſorum: apud Magnobodum Andegauenſem Epiſcopum in vita ſancti Maurilij: apud Bedam in hiſtoria Anglorum: apud Theodulfum in carmine ſuo. Si vel ipſum Renati nomen in martyrologiis Bedæ, Vſuardi, Adonis, Rabani, Vvandelberti, Notkeri, Romanæ demum Eccleſiæ reperiretur. Si hoc ipſum nomen in veteribus Eccleſiæ Turonenſis, Redonenſis, Venetenſis, Briocenſis Calendariis extaret. Si veteres inter Andegauenſis vrbis aut pagi Eccleſias vel vna S. Renati titulum præ ſe ferret. Si quis olim egregius ſcriptor peculiarem Renati vitam literis mandaſſet: ſi quæ à Belleforeſto edita eſt, de Surrenti obſidione pernicioſam Chriſtianæ religioni fabulam non contineret:

si quod scriptū pro variis S. Renati translationibus dicitur authenticum, posset authenticum haberi, & non supposititium; si quę producuntur Surrentinensis Ecclesiæ officia Rainonis tempus antecederent, & adhuc in vsu forēt: si omnia & Andegauensis & Surrentinæ Ecclesiæ monimenta non pugnarent inter se, & mutuis accisa plagis non conciderent: si concessarum à quatuordecim Cardinalibus Indulgentiarum literæ, si Leonis X. & Clementis VII. pro confraternitate S. Renati Indulgentiarum Bullæ, manifestæ fraudis & suppositionis non conuincerentur. Si Vindocinensis Chronici auctor nihil habuisset causæ, cur ad annum 905. notaret; *vita S. Maurilij inuentio, seu potiùs augmentatio per Rainonem Episcopum, & Archanaldum scriptorem facta est.* Si quo tempore Raino vixit de interpolatoribus vitæ sanctorum Guibertus Abbas, & Cardinalis Damianus non ea obseruassent, quæ dolenter obseruarunt. Si quæ tandem de Renato non probantur, & pro rei grauitate probanda sunt, non per vacuum & inane traditionis nomen, sed per veram traditionem & testes traditionis idoneos probarentur.

FINIS.

Beatus Augustinus libro de vera Religione.

Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Melius est enim qualecunque verum, quàm omne quicquid pro arbitrio fingi potest.

Ioannes Gerso Parisiensis Cancellarius in declaratione veritatum, quæ credendæ sunt: de necessitate salutis.

Respicit iste gradus (sextus) *Legendas & miracula sanctorum, vitas Patrum, visiones deuotarum personarum, recitationes & opiniones sacrorum Doctorum. Quæ omnia suscipit Ecclesia, & legi permittit, non quòd determinet talia de necessitate salutis esse credenda, sed quia proficiunt ad commouendos affectus pios fidelium & in ædificationibus ipsorum,* DVM IN TALIBVS NIHIL DE CERTITVDINE SCITVR ESSE FALSVM.

APOLOGIA PRO NEFINGO huius nominis primo Andegauensi Episcopo:

Aduersus eum, qui Apologiam pro sancto Renato Andegauensi Episcopo scripsit.

PRÆFATIO.

QVI nuper Andegaui apologiam pro sancto Renato scripsit, eam quatuor præcipuè rationum momentis adornauit. Primum est à communi traditionis loco, quem per multas paginas explicat: alterum à monumentis, quæ sine vllo delectu producit. Tertium à repellendis negantibus argumentis, quæ iuxta Dialecticæ leges probare nihil contendit. Quartum à conuitiis, quibus aduersarium quamlibet immerentem lacerat ac proscindit. Priora duo momenta causam in se stabiliunt, posteriora verò tuentur, & ab impressionibus defendunt. Hanc autem disputandi methodum qui sequetur, facilè poterit apologiam scribere pro Nefingo primo Andegauensium præsule, quem quisquis apologiam pro Renato composuit ex Catalogo Andegauensium Episcoporum expunxit his è pagina 129. verbis: *Obseruabit hic obiter lector in Elogio supradicto per errorem scriptum fuisse, Nefingum tanquam decessorem Renati in Episcopatu Andegauensi. Maurilio enim successit Renatus, vt ex superioribus constat. Nefingus autem longo pòst tempore Pontificatum tenuit; nempe anno 969. regnante Lothario Godefrido, Grisogonello Comite Andegauorum, vt monumentis Ecclesia nostra testatum est.* In hac enim disputandi methodo contendet, duos fuisse huius nominis Andegauenses Episcopos, & de secundo fieri tantùm mentionem in monumentis, quæ ad Lotharij & Grisogonelli ætatẽ pertinent. Sed alia primo fidem prestant.

Nunc ex præfatione eius, qui apologiam pro Renato edidit, poterit mutuari quæ sequuntur paucis immutatis: *Mirabuntur qui hoc opus nostrum legent tantam fuisse in homine Christiano aduersus* Episcopum Andegauensis Ecclesiæ *audaciam, tantum in sacerdote religionis contemptum, tantam in* N. *ratiocinandi imperitiam, tantam vel ignorantiam, vel mentis cæcitatem in probando, vt præter negationes, imposturas, paralogismos & fraudes, nihil prorsus ad causam attulerit. Non putauimus sectandam nobis feram per singula vestigia vel captionum effugia, ne operam perderemus in rebus futilibus excutiendis, aut lectoris studiosi exspectationem importuna & minimè necessaria contentione moraremur. Neque enim consilium fuit nobis in suscipiendo hoc certamine pugnam cum omnibus eius tricis & nugis conserere, sed tantùm famam*, ordinem, & *Pontificatum* illustrissimi Nesingi, qui cum Renato primos inter Andegauenses Episcopos vixit, *ab iniuria & petitionibus impietatis vindicare.* & post alia: *Visum est homini minimè malo in tota obseruatione non satis indulsisse amarulentiæ ingenij sui, nisi priusquam manum tolleret de tabula, derisionis aculeum* in monumenta Ecclesiæ Andegauensis *infixum relinqueret. Ea est hominis religio, vt maledicendo satiari non possit* Et post alia: *Quia verò ex publica editione* apologiæ N. *scandalum præ ceteris passa est vniuersa prouincia Andegauensis, cùm traditionem patrum, & suam* de Nesingo primo *violari audiit tam impia opinionis disseminatione, & charissimi* Episcopi nomen & ordinem *sibi nefariè eripi, vt scandali damnum & popularium offensio sarciatur*, hanc pro Nesingo primo *apologiam duximus edendam: Denuntiantes interea auctori tam peruersæ doctrinæ sententiam Domini nostri Iesu Christi, Matthæi 18.* Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Sanctus Hieronymus in Dialogo aduersus Luciferianos.
Sequar te quocunque ieris, aut pariter in luto hæsitabimus, aut pariter expediemur.

Nefingum huius nominis primum fuisse Andegauensem Episcopum ante annum 453. quo ordinatus est Talasius.

CAPVT PRIMVM.

PRIMA PROBATIO.

Ab antiqua Ecclesiæ traditione.

PRIMVM huius apologiæ caput conficiunt apologiæ pro Renato fragmenta duo : vnum ex cap. 3. quod sic se habet : *Hoc causæ caput est, si probauerimus, sine controuersia vicimus, & vitiligatoris fraudes atque vafr amenta conuicimus. Mirari satis non possumus hominem* canonicum, *cuius studiis omnibus atque cogitationibus pietas proposita esse debuit, tantos sibi spiritus, tantam arrogantiam sumpsisse, vt aduersus cælum ipsum coniurare ausus fuerit, & contempta duodecim sæculorum religione, Pontificem* Nefingum ex Andegauensis Ecclesiæ *possessione deiicere*, atque *ex Diptychis eiusdem nomen* Nefingi, *memoriámque eradere.* Alterum ex iis, quæ post pauca in hunc disputat modum : *Excandescit Tertullianus in libro de Corona militis cap. 3. aduersus eos qui traditionibus Ecclesiasticis, & moribus in Ecclesia receptis contradicunt: Quandiu, inquit, per hanc lineam serram reciprocabimus, habentes obseruationem inueteratam, quæ præueniendo statum fecit. Hanc si nulla scriptura determinauit, certè consuetudo corroborauit, quæ sine dubio de traditione manauit. Quomodo enim vsurpari quid potest? si traditum priùs non est.* Et nonnullis interpositis : *In verbo autem statum facere, imitatus videtur Tertullianus beatum Paulum , qui in epistola secunda ad Thessalonicenses cap. 2. hortans Christianos ad seruandas traditiones sic loquitur : Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem, siue per epistolam nostram.* & quibusdam interiectis : *Quem locum explicans sanctus Ioannes Chrysostomus in explanatione eiusdem epistolæ orat. 4. in cap.*

2. *ita scribit: Hinc perspicuum est, non omnia per epistolam (id est scripto) tradita esse, sed multa etiam sine scripto, & perinde hæc, atque illa fide digna esse. Quamobrem Ecclesiæ quoque traditionem censeamus dignam esse, cui fides adhibeatur. Traditio est, nihil ampliùs quæras.* & post alia: *Itaque clamet & obstrepat quantum volet* Nesingi *hostis: dirumpatur etiam præ tumore virulentiæ obnuntiando tam auspicatæ & faustæ traditioni Ecclesiæ de* Nesingi *Pontificatu, manet immota & inconcussa veritas, sufficere solius traditionis auctoritatem & patrocinium, tametsi nullus ea de re auctor hactenus scripsisset, tametsi eius nulla martyrologia, nulli indices, nulla monumenta, nulli annales, nullæ Ecclesiarum prouincialium tabulæ meminissent. Quidquid igitur obiiciatur, siue ab hæreticis, siue à libertinis, siue à prurientibus ingeniis Doctorum contentiosorum, vno verbo ad omnia respondemus cum sancto Ioanne Chrysostomo, Traditio est, nihil quæras amplius.* In his ergo sistet Nesingi primi defensor, affirmabitque eum fuisse circa annum 440. Andegauensem Episcopum. *Traditio est, nihil quæras amplius.* Cetera prætermittet, quippe quæ ad eloquentiæ specimen, non ad maiorem veritatis assertionem profert auctor apologiæ pro Renato.

CAPVT SECVNDVM.

SECVNDA PROBATIO.

A monimentis, siue testibus.

HOC caput asserunt loca duo, vnus est ex cap. 3. in secunda probatione: *Quanquam autem satis ipsa sui testis traditio est & ἀξιόπιστος, vt loquitur Chrysostomus, neque aliorum testimoniis indiget ad fidem veritatis faciendam.* Vt tamen Ecclesia Andegauensis prorsus eximatur à calumnia, Nesingi patronus quatuor proferet testes, qui & antiquissima monumenta viderunt. Porro testes illi sunt Ioannes Hiretus, Iacobus Seuertius, Claudius Robertus, & Ioannes Chenutius, qui in Andegauensium Episcoporum indicibus Nesingum inter primos adscribunt. Ex iis quatuor vnus est Hiretus Andegauensis, & ipse Do-

Doctor Theologus, cuius liber de antiquitatibus Andegauensibus editus est Andegaui, nec minùs, quàm Apologia pro Renato probatus, & Andegauensi Episcopo nuncupatus. Deinde Chenutius, & Robertus indicē suum ex antiquo Capituli Andegauensis Catalogo acceperunt, vt tradit auctor apologiæ in tertia probatione à monumentis: *Sic in antiquo Catalogo Capituli nostri, ex quo acceperunt Demochares, Chenutius & Robertus.* Alter cap. 4. Apologiæ habetur in octaua obiectione. *Itaque quantumuis reluctetur, fateatur oportet,* Nefingum in quatuor Andegauensium Episcoporum indicibus *probæ fidei reperiri, quem consensum pro lege habere debet, cùm ex oraculo Christi, in ore duorum vel trium stet omne verbum.* Quibus Gallicanum martyrologium æquè adiunget, atque auctor apologiæ inter Renati testes adiunxit Gregorium Turonensem, etiamsi de illius testimonio controuersia moueretur. Ad monumenta verò alia quod attinet, facilè possent adduci similia literis Indulgentiarum, quas Cardinales XIV. Leo X. & Clemens VII. Confraternitati S. Renati concesserunt.

CAPVT TERTIVM.

TERTIA PROBATIO.

A repellendis negantibus argumentis.

CONSTITVTA iam Nefingi primi sede & episcopatu nihil præter argumenta negatiua potest opponi: Qua de argumentandi forma sic contra se differit auctor Apologiæ pro Renato cap. 4. in responsione ad obiecta: *Sed ne quis deinceps ea in re falli possit, admonendos lectores duximus, summam eius artem esse, multa falsa supponere, omnia negare. Hoc auctore,* qui Nefingum nostrum fuisse negat, ei

Nil intra est oleam, nil extra est in nuce duri.

Quid ab hoc homine exspectes boni? Mirum sanè est, hominem canonico *titulo superbientem & in* schola Andegauensi *enutritum, vnicum nosse in tanta amplitudine locorū Dialecticorum, locum à negantibus, quē Graci ἀποφατικὸν vocant. Euolue* quicquid de Nefingo primo dixit vel dicere poterit,

ne vnum quidem argumentum inuenies, quod non sit à negatione sumptum. Homini assiduè neganti quid aliud responderi potest, quàm quòd echo percussa reciprocaret verbũ illud suum quod tam sæpe ingeminat : Nego? nihil probanti sufficit hæc responsio. Est enim vulgatum axioma Dialecticorum, ex purè negantibus nihil concluditur. Hac autem doctrina fretus Nesingi defensor audacter pronũtiabit, eum, qui ex ordine Andegauensium Episcoporum Nesingum primum sustulit in Apologia pro Renato, multa falsa supponere, nihil probare, omnia negare. Sed cùm dicet: Burdigneus Nesingum istum non habet, Demochares non habet: reponetur, Seuertius habet, Chenutius habet, Robertus habet, Hiretus habet, Gallicanum Martyrologium habet. Sed dicet rursus, veteres non habent: rursus quoque reponetur, veteres habent, à quibus Hiretus, Chenutius, Seuertius, Robertus, & Gallicanum Martyrologium acceperunt. Sed hac in re cùm nihil præter negationes aliud per totam æternitatem ingeminaturus sit, tum demum reponetur vulgatum axioma Dialecticorum: *ex purè negantibus nihil concluditur.* His adde, quæ habentur sub finem capitis 3. *Ex iis quæ à nobis hactenus producta sunt, iudicabit sapiens lector, an satis Christianè fecerit* auctor Apologiæ pro Renato, *qui sola negandi temeritate fultus sine teste, sine ratione, sine probatione vlla impugnare ausus fuerit* sedem & Pontificatum Nesingi primi, & eum *cum summo religionis scandalo impiorum ludibriis publica scriptione exponere contra communem & perpetuam Andegauensis Ecclesiæ traditionem.*

CAPVT QVARTVM.

QVARTA PROBATIO.

A conuitiis & minationibus.

HIc à cõuitiis & minationibus locus præsertim vnus est, quò auctor Apologiæ pro Renato perfugit. Hic portus, hæc arx, hæc ara probationum. Verùm quæ hoc capite probatio instituitur diuersa ratione facilis & difficilis est : facilis quidem, cùm in quamcunque Apologiæ pro Renato pagi-

nam incidas, occurrunt atrocissima conuitia, quæ huc transferantur: difficilis verò, cùm si quæcunque occurrunt conuitia, huc transferantur, nullus erit purulentias & sordes istas transferendi finis. In his igitur angustiis positus Nefingi defensor quid faciet? Ex præfatione Apologiæ pro Renato, *non putabit sectandam sibi feram per singula vestigia, ne operam perdat* in tot describendis conuitiis, sed indicabit eas tantùm paginas, è quibus hic argumentandi locus repeti potest. Sunt autem hæ paginæ: pag. 1. sub finem. pag. 2. sub initium. pag. 10. sub finem. pag. 11. tota. pag. 12. fere tota. pag. 13. sub initium & finem. pag. 14. tota. pag. 15. fere tota. pag. 16. tota. pag. 17. dimidia. pag. 26. tota. pag. 27. dimidia. pag. 28. fere tota. pag. 29. tota. pag. 30. sub initium. pag. 31. tota. pag. 33. sub initium. pag. 38. sub initium, pag. 39. sub finem. pag. 40. sub initiũ. pag. 42. media. pag. 43. sub initium. pag. 60. sub initiũ. Ab hac pag. vsque ad pag. 115. referuntur quædam de Renato monimenta, & prolixæ Indulgentiarum literæ, vbi calumnias interponere non licuit. Sed hoc vacuum maledictis interuallum præfatione compensatur, in qua quot fere paginæ, tot maledictorum plaustra, quibus velut proprio cantu futuræ pugnæ fortunam auguratur, qui aliàs de recta ratione psallendi scripsit. Igitur pag 115. sub initium. pag. 120. media. pag. 121. media. pag. 128. sub finem. pag. 129. sub initium. pag. 133. media. pag. 134. tota pag. 135. tota. p. 136. sub initium. pag. 137. sub finem. pag. 140. media. pag. 141. dimidia. pag. 149. media. pag. 154. sub initium. pag. 161. sub initium & finem. pag. 162. sub initium. pag. 165. sub finem. pag. 174. sub finem. pag. 177. media. pag. 178. sub initium. pag. 180. sub initium. pag. 184. media. pag. 187. fere tota. pag. 192. media. pag. 199. sub finem. à pagina 200. vsque ad paginam 228. superuacaneis digressionibus occupatus non calumniatur. pag. 228. dimidia vt minimùm. pag. 229. fere tota. pag. 231. media. pag. 233. sub finem. pag. 235. sub finem. pag. 240. sub initium. pag. 241. media. pag. 242. sub initium. pag. 244. media. pag. 245. fere tota. pag. 246. sub initium. pag. 247. fere tota. pag. 248. sub initium. pag. 250. fere tota. pag. 251. fere tota. pag. 252. media tantùm, quòd vltima sit, nec impleatur.

Triplex autem ex hoc argumentandi modo percipitur vtilitas; vna, quòd quidquid volueris asserere, fidem aliquam

apud imperitum vulgus acquiret: altera, quòd eorum, qui calumnias & minationes etiam propter veritatem metuunt, aperta dissensio cohibebitur. Tertia, quòd apud simplices & incautos ardentissimæ pietatis fama colligetur.

Verùm si tandem grauiora quædam momenta rationum opponantur, nec sigillatim sine detrimento causæ dilui possint, per ea quibus caput quartum Apologiæ pro sancto Renato clauditur, generatim & in auersione soluentur: *Ceterùm*, inquit auctor, *quæ* in libro suo *congerit* aduersarius, *mera quisquiliarum retrimenta sunt, quæ scopis velut sordes euerri, & foras proiici, magis æquum est, quàm vlla obseruatione aut examine attrectari.* Quibus verbis non modò difficillimæ quæque obiectiones diluentur, sed & lector delectabitur, & referet aduersarius, quod assolet temeritas.

His autem quatuor disputandi rationibus non modò probatur extitisse hunc Nesingum, sed nihil est in Legenda Aurea tam falsum, quod iis vti verum defendi non possit. Nunc ei, qui Apologiam pro Renato scripsit, facimus optionem, vt eligat quod sibi fabulosius videbitur. sed in antecessum damus, quod de Quiriaco Papa Monachus Autisiodorensis narrat ex sancta Elizabeth Schonauiensi: *Dicit* (Elizabeth) *quòd quidam Papa vrbis Quiriacus nomine* XIX. *post Petrum cum illis passus sit. Fuit siquidem iste Pontiani Papæ successor, & rexit Ecclesiam ann. 1. & mens. 10. & sic in loco suo virum sanctum, qui Anteros dictus est, ordinauit, & cum 11. millibus virginum discedens, sedem suam reliquit. Nam & ipse de Britannia natus plures consanguineas in sanctarum numero puellarum asseritur habuisse, & quia sedem Apostolicam inuito Clero reliquit, nomen ipsius de Catalogo Romanorum Pontificum idem Clerus erasit. Ipse tamen securè hoc fecit, quia diuinitus sibi fuerat reuelatum, cum eisdem virginibus martyrij palmam se percepturum. Passum est autem sanctum virginum Collegium iuxta præfatam narrationem circa annum incarnati verbi 237.* Hæc ille in Chronologia, quam ad annũ 1200. perduxit. De Quiriaco seu Cyriaco loquuntur Chronica Martini, Martyrologium 12. Calend. Nouemb. Coloniæ editum anno 1490. & Ioannes Cappgrauius in Legenda Angliæ vulgata Londini ann. 1516. & 1517. Iam dicimus, hac tractandi methodo pro-

bari posse, Quiriacum papam extitisse, quamuis extiterit nusquam.

Ceterùm hæc pro Nesingo primo Apologia nullius est prҿterquam eius, qui Apologiam pro Renato scripsit. Nam fere ex illius verbis compingitur, & tota, quod spectandum maximè, ex ea, quam seruat disputandi methodo comparatur. Igitur siue reiiciat hanc pro Nesingo primo Apologiam, siue recipiat, semper incommodum feret. In vno captus est, in altero nullus: captus quidem, quòd suam in disputando methodum vt insulsam, & quidquid per eam asseritur, vt malè assertum repudiabit: Nullus verò, quòd quem Nesingum vt fictitium hominem reiecerat, & bene reiecerat, eum tanquam verum admittet. In vtroque perspicuè constabit, quod vnicum constare vult Nesingi primi defensor, scriptorem Apologiæ pro Renato scire quidem calumniari, βατταρίζειν καὶ βιργαΐζειν, sed nescire prorsus, quæ sint leges inueniendæ ex suis momentis, asserendæque veritatis.

Facundus Hermianensis Episcopus libro I. pro defensione trium Capitulorum cap. vltimo.

Sic meretur cæcari, vt sibi primùm contradicat obuia veritati contentio, quæ rationis capax non est.

APOLOGIA
PRO NEFINGO
HVIVS NOMINIS PRIMO Andegauensi Episcopo:

Aduersus eum, qui Apologiam pro Sancto Renato Andegauensi Episcopo scripsit.

ERVDITISSIMO VIRO
LVD. NVBLEO,
IN SENATV PARISIENSI
ADVOCATO.

AD Ciceronem scribens Cecinna dicit, non tam interesse, quo animo liber scribatur, quàm quo accipiatur ERVDITISSIME NVBLEE. *Rectè quidem vir prudentissimus dicit; sed rectè quoque dici potest, non tam interesse, qui liber scribatur, quàm qua tractandi methodo scribatur. Etenim si qui librum scribit, eam sequatur tractandi methodum, qua falsum perinde ac verum probetur, is non bonum certè librum scribit. Quartus iam ferè annus est, cùm istud praepostera scriptionis genus deprehendi in libro, quem Auctarium historicum de Magdalena Massiliensi aduena scriptor appellauit. Tunc iudicium meum tibi, à quo librum acceperam, cùm in finibus Allobrogum Cularone degeres, per literas misi; quae vbi illustribus genere, doctrina & magistratu viris cùm è Senatu, tum è Curia Rationum apud Delphinates, veritatis amantibus, quos inter Gratetus, Saluagnius, & Ponnatus eminent, grata & accepta fuissent, Francisci Barancij Iurium Doctoris communis amici studio commissa sunt Lugdunensibus typis. Nunc eandem tractandi methodum animaduerto in Apologia, quae pro S. Renato Andegauensi Episcopo mensibus abhinc tribus edita est, & quae meam vnam de auctore vitae S. Maurilij,*

ÆGIDIVS MENAGIVS GVILLELMO MENAGIO PROPRÆTORI ANDECAVENSI FRATRI CARISSIMO S. D.

ACCEPI *libenter cum literis tuis, & libentissimè legi, quam ad me misisti Ecclesiæ Andecauensis Apologiam, aduersus duas Ioannis Launoij Theologi Parisiēsis, de vita S. Maurilij, & de S. Renati historia, Dissertationes. Nam præterquam quòd variâ & multiplici eruditione referta est, & stilo conscripta facili & eleganti; perhonorificam de me passim auctor, quisquis tandem ille sit, mentionem facit. Quemadmodum autem non ambiguum est apud me, quin ille tot tantásque laudes, non tam merito vlli meo, quàm humanitati suæ sit largitus: ita vellem, ipsius profectò potiùs, quàm Launoij causâ, maiorem in hoc argumento tractando moderationem adhibuisset. Siquidem iis qui Launoium nouerunt, nihil exploratius esse potest, quàm eum, veræ & non simulatæ pietatis cultorem esse; in indagandis Ecclesiasticis Originibus, quantâ doctrinâ, quantóque iudicio, quæ in eo summa sunt, tantâ quo-*

que diligentiâ & fide versari; quódque de vita S. Maurilij, & de S. Renati historia scripsit, id solo veritatis, quâ Religio constat, studio scripsisse. Aliter nonnullis apud vos visum. adeo verum est, quod Cæcina aiebat, non tam interesse quo animo liber scriberetur, quàm quo acciperetur. Hoc tamen liquidò tibi affirmare possum, neminem hîc quidquam de conuiciis, quæ istic in illum iacta sunt, resciuisse, qui non id indignissimè tulerit. Verùm, vt minùs mirer, nonnullos reperiri, qui eas Launoij Dissertationes, vt pietati contrarias traducerent, facit: non modò, quod insimulare me videtur auctor Apologiæ, quasi exemplar Codicis MS. vitæ S. Maurilij à Claudio Menardo per amicitiæ speciem *elicuerim, vt illud Launoio traderem,* qui eo in fraudem amicitiæ, præter Menardi mentem, aduersus S. Renatum, quasi hostis, vteretur; *Sed etiam, quod ad me amantissimè & fraternè scribis, quamplurimos è nostratibus esse, qui me grauissimè accusent, quòd à Launoio quæsiuerim, quid de illa S. Maurilij vita sentiret; quòd illas Dissertationes suas mihi inscripserit; denique, quòd ad illarum confutationem me statim non accinxerim. Te eiuscemodi obtrectationibus strenuissimè occurrisse, dici non potest quàm mihi valde gratum sit.*

Abi

Abs quiuis homine cùm est opus beneficium accipere gaudeas:
Verùm enim verò, id demum iuuat, si quem rectum est facere, is bene facit.

Noli tamen exspectare dum tibi gratias agam. Nemo sibimetipsi gratias agit. Tu verò, mi Frater, es alter ego. At vt maleuolorum in nos hominum sermones compescere, & famam nostram tueri faciliùs valeas; simúlque etiam vt testimonium perhibeam veritati, quod si negare vellem, nec possum, nec debeo, quænam in toto isto negotio partes fuerint meæ, quàm simplicissimè potero exponam. Optimè quippe me purgaueris, si quid egerim narraueris fidelissimè. Adieram R.P. Iac. Sirmondum, cuius amicitiam ambitiosè colo, & à cuius consuetudine doctissimi quique numquam nisi doctiores recedunt. De rebus Andecauensibus sermo inciderat, quarum eum esse peritissimum, ex Notis, quas in Goffridum Vindocinensem edidit, mihi compertum erat. Sed quid ille nescit? Arrepta igitur occasione, quæro ab eruditissimo atque humanissimo sene, quidnam ipsi videretur de illa S. Maurilij vita, quam Gregorio Turonensi Episcopo tribuerent Codices manu exarati. Respondit eam se minimè vidisse. Launoium autem communem amicum vidisse. neminem esse, à quo certiùs, quid de ea statuendum esset, possem co-

gnoſcere. Accidit vt illo ipſo die in ædibus Clariſſ. Fratrum Puteanorum, in quas, quod te non latet, viri eruditi cottidie conueniunt, horáſque multas ſuauiſſimo ſermone conſumunt, Launoium offenderem. Idem ab eo percunctor, quod à Sirmondo fueram percunctatus. Ille ſtatim excipit, nactum ſe fuiſſe non ita pridem ab erudito viro Renato Valino Nannetenſi Canonico, vitæ illius exemplar, ad fidem Codicis Menardiani deſcriptum, ex quo pauca quidem raptim excerpſerit, ſed vnde tamen abunde conſtaret Gregorium Turonenſem illius vitæ auctorem eſſe non poſſe. Quòd ſi quis exemplaris illius, aut aliûs ſimilis iterum ſibi copiam faceret; non ambigere ſe quin inter relegendum, longè plura adnotaret, quibus idem magis ac magis confirmaretur: ac tum ſe Diſſertationem ea de re elucubraturum, quam mihi inſcriberet. Repono ego, eam mihi cum Menardo amicitiam intercedere, támque propenſam illius eſſe in iuuanda re literaria voluntatem; vt ſperarem me archetypi ipſius vſum ab eo facilè impetraturum. Nec mora: ad Menardum quod res erat, ſcribo ſincerè atque apertè, vt mos eſt meus. quis enim me apertior eſt atque ſincerior? Theologum ſcilicet hîc eſſe Launoium nomine, virum doctiſſimum, humaniſſimum, amicum meum, qui S. Maurilij Vitam, vel ſuppoſiticiam, vel

certè interpolatam, eiúſque peregrinationem omnino fabuloſam eſſe contenderet: quíque ea de re Commentationem mihi nuncupandam pararet. Rogo vt ad me Codicem mittat. Curaturum me ſpondeo, vt ſimul atque Launoius perlegiſſet, ad eum remitteretur. Mittit Menardus, non archetypum quidem, ſed exemplar. Ridiculum eſſe quod Launoius tentaret, reſcribit. Eum etiam ad certamen vocat. Plures ſunt in Ciuitate veſtra, quibus meam Menardus epiſtolam, & reſponſionem ſuam, oſtendit. Teſtem vnicum, ſed omni exceptione maiorem, Henricum Arnaldum Epiſcopum Andecauenſem, virum, non pietate minùs & doctrina, quàm dignitate illuſtrem, appello. Non igitur exemplar illud per ſpeciem amicitiæ à Menardo accepi, vt Launoio traderem; quemadmodum auctori Apologiæ peruerſi in me homines impoſuere. neque enim adduci poſſum, vt hæc ipſum confinxiſſe credam. Concedat tamen vt querar, quòd tam celeriter crediderit, quidquam à me committi potuiſſe, quod eſſet ab honeſtate, nedum ab amicitia, alienum. Sed audi cetera. Exemplar iſtud vt Launoius inſpexit, in eo deeſſe mihi ſignificat locum quendam Gregorij Magni, quem inter alios ex Valiniano exemplari in Aduerſaria coniecerat, & ex quo ψευδεπίγραφον euidentiſſimè, vt ſi-

bi videbatur, esse arguebat. Illico eius nomine ad Menardum iterum scribo, videret num forte locus ille Librario per oscitantiam excidisset. Rescribit Menardus, locum Gregorij Magni in archetypo nusquam comparere, neque in aliis duobus, quos penes se habebat, eiusdem Vitæ antiquis Codicibus. Sed nec se adeo perfrictæ frontis esse, hoc enim verbo vsus est, vt de MSS. codicibus, quos exscribi curabat, demere quid, addere, aut mutare non vereretur. Verùm enim verò, locum Gregorij Magni, ne nunc quidem, in vllo trium illorum veterum manu exaratorum Codicum desiderari, ex ipso Apologiæ auctore intelligo. An inde sequitur, quod infert, Launoium manifestæ fraudis esse conuictum, quòd locum illum ab eo exemplari, quod à Menardo acceperamus, abesse scripserit? minimè sanè. Verißimè enim id profectò Launoius scripsit: Neque fides huic facto aliunde adstruenda est, quàm ab ipso exemplari, quod postquam Launoius mihi reddidit, Illustrißimo Andecauorum Episcopo dedi, quódque apud eum etiamnum extare non dubito. Porro cui bono finxisset Launoïus abesse locum illum ab eo exemplari, cùm non abesse, illius causæ haud mediocriter interesset? Ad Menardum autem quod attinet; vir erat probus, pius, & eruditus, patriæ & religionis amans, quàm qui maximè. Sed

vt erat quoque valdè, ac fortaſſe nimiùm facilis, vero ſimile eſt, quoſdam qui piis fraudibus indulgendum cenſent, ſimplicitate hominis abuſos, ipſi auctores fuiſſe, vt pateretur locum illum in illo exemplari deſcribendo omitti. Quidquid ſit, perſuaſiſſimum mihi eſt, Menardum, quod fecit, bono animo feciſſe. Ego tamen, ne quid diſsimulem, à piis eiuſmodi fraudibus ſemper abhorrui: & aduerſus earum ſiue artifices, ſiue patronos, ſolitus ſum cum Iobo exclamare: Nunquid Deus indiget veſtro mendacio, vt pro illo loquamini dolos? *Pergo ad ceteras criminationes. Mihi vitio dant, quod de Vitæ Maurilianæ auctore dubitauerim, déque eo, Doctorum hominum ſententias rogauerim. Ineptiſſimi mortalium, qui neſciunt principium eruditionis eſſe dubitationem; ac libros, qui falsò viderentur inſcripti, tamquam ſubditicios familiâ ſubmouere, præcipuam Critices, tam ſacræ, quàm profanæ partem olim fuiſſe. Equidem, vt taceam* τοὺς ἔξωθεν, *nihil frequentiùs apud Hieronymum, atque alios qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis aliquid memoriæ mandarunt. Quid? quod, non de fide quidem, ſed de auctoribus nonnullorum Veteris & Noui Fœderis librorum, qui ab initio in Canonem recepti fuerant, non leues diu extiterunt inter ipſos Orthodoxos controuerſiæ. Sed quando de*

vitæ Mauriliana auctore sermo est: Ecquis Io. Cordesium ciuem & Canonicum Lemouicensem damnat, quòd Martialis Episcopi Lemouicensis vitam, quæ sub nomine Aureliani circumferebatur, falsi publicè arguerit? nemo hercule. Ecclesia Catholica Dei sponsa & Christianorum omnium parens, eorum duntaxat, quæ circa fidem versantur, iudicium sibi vni reseruauit. At per eam licuit sempérque licebit viris eruditis & veritatis studiosis, in examinandis istiusmodi quæstionibus historicis, quæ merè sunt facti, industriam suam exercere, & quæcunque animaduersione obnoxia deprehendissent, publici iuris facere. Sed ad facti mei rationes vt redeam; mihi etiam crimini ponunt, quòd vir inter Theologos Parisienses celeberrimus, nam talem esse Launoium, ne vel ipse liuor negauerit, mihi Andecauensi librum de S. Renato Andecauensi Episcopo nuncupauit. Nouum sanè crimen, & ante hunc diem inauditum: & cuius plurimi, ni mihi plus æquo blandior, se conuictos velint. At Launoius, inquiunt, in eo libro S. Renatum non fuisse Episcopum Andecauensem dicit, immo ne fuisse quidem vnquam. Neutrum profectò dicit Launoius. Verùm, illud esto: dixerit. Si Disquisitionem iustam instituisset Sirmondus, quâ pietate vir! quâ modestia! quo ingenio! quâ doctrina! quo

iudicio! vt fusiùs demonstraret, quod in Notis ad Sidonium Apollinarem, contra vulgi opinionem, disertißimè scripsit, Prosperum Aquitanum nunquam fuisse Reiensem Episcopum; eámque Reiensi cuipiam inscripsisset? Quid si idem, egregiam illam Dissertationem, quâ Dionysium Areopagitam, alium esse à Dionysio Parisiorum Episcopo, luce meridiana clariùs docuit, in Parisiensis cuiusdam nomine apparere voluisset? an Reiensis ille, an Parisiensis iste, propterea digni essent, qui piaculi alicuius, aut rei, aut conscij peragerentur? Vterque sanè eo nomine, ni fallor, triumpharet; & quod sibi crimini poneretur, laudem duceret maximam. Superest vt postremum accusationis caput diluam. Damnant me, quòd Decanus cùm sim Ecclesiæ S. Petri Andecauensis, in cuius templo illustrißima exstant historiæ S. Renati monumenta, Launoÿ librum non refutauerim. Enimuerò, tametsi diuersa ea de re à Launoio sensissem, nónne inciuile, ne dicam contumeliosum fuisset, in eum librum scribere, quem vir amicißimus mihi inscripsisset? Deinde, quî summæ temeritatis culpam effugissem, si istud opus aggressus forem, in quod audiebam sedulò incumbere Menardum ipsum, & Iacobum Euigilonium Canonicum Andecauensem, duo clarißima ciuitatis nostræ lumina, & quorum dextris, si hæc Pergama de-

fendi poſſent, defenſum iri certum erat? Huc accedit, quòd aduerſus ea quæ præcipuè Launoius aſſerit, nullum Scriptorem fide dignum, Rainone Epiſcopo Andecauenſi antiquiorem, S. Renati Epiſcopi quoque Andecauenſis mentionem feciſſe, nihil omnino adferre potuiſſem, qui nullum antiquiorem planè noui. At optaſſe me, vt ſi Launoius falleret aut falleretur, aliquis veritatis propugnator aduerſus eum prodiret, teſtis eſt Io. Fronto noſtras, vir Rerum Eccleſiaſticarū peritiſſimus, quem non ſemel, vt eam prouinciam in ſe ſuſciperet, hortatus ſum. Sed de his ſatis, immo nimis multa. Neſcio enim quo modo in hac epiſtola longior fui, quàm aut vellem, aut me putaui fore. Vale mi cariſſime & ſuauiſſime Frater, & me, vt facis, ama amore illo tuo ſingulari. Luteciæ Pariſiorum Kal. Maij CIↃ IↃCL.

Dis-